
SS. LEANDRI FVLGENTII ISIDORI PRÆSTANTIVM HISPANIÆ PONTIFICVM FRATRVM, ET S. FLORENTINÆ SORORIS, NATALES.

ITEM S. LEANDRI REGVLA ET INSTITVTIO VIRGINVM.

NVNC PRIMVM NOVE EXTRA HISPANIAM EDITA

A

R. P. CHRISTOPHORO BROVVERO DE SOCIETATE IESV PRESBYTERO.



MOGVNTIÆ,
Ex Typographia Ioannis Albini.

ANNO M. DC. XVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. LEOPOLDO ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, &c. EPISCOPO Argentoratenſi & Paſſauienſi, Landtgrauio Alſatiæ, S. Rom. Imp. Principi

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

STIRPIS ac ortus generoſi claritudinem hoc præcipuè ornamento, Seren.[ſime] *Princeps, aiunt, commendari, vt ſi qui à magnis heroibus lucem acceperunt, ij officiis, ac vitæ præclaris actionibus illud efficiant, vt non minus iſti ſplendoris ac gloriæ in nepotes transfudiſſe, quam hi ab illis accepiſſe, & animi magnitudine, ac virtutis imitatione expreßiſſe, videantur. Magna fateor, Domus Auguſtæ veſtis gloria eſt, clarißimæ tot Cæſarum, Heroum, & Heroinarũ imagines. Sed omnes hos ſupergreditur & illuſtrat titulos Religionis amplitudo, virtutis dignitas, & moderatrix rerum humanarum omnium vitæ Temperantia, morumque ſedatio, & grauitas. Hæc ornamenta, ſi ex æternæ memoriæ Caroli Parentis, & Mariæ ſanctißimæ*

Digitized by Google

Matris, & heroinæ lectiſſimæ veſtigijs, in te expreſſa iã, Sereniſſime Princeps, habemus, nõ erit, vt fortiſſimorum Cæſarum, & ſapientiſſimorum ac fortunatiſſimorum heroum, bella, trophæa, opimas opes, & illuſtria, quæ iam præteriere facta, laudemus, ſed illam tuæ vitæ palæſtram potius intueamur, in qua multum Sereniſs^me Princeps iã progreſſus, ſi plus, vt facis quotidie ſpatij confeceris, haud magis ipſi præſtantium operum ſuorum recordatione, quam filijs & ſobolis incremento tam nobili ſint lætaturi. Suſpexit hæc ætas incomparabilis hoc virtutis exemplũ, quod in Sereniſſima Maria Parente tua vidit, cum pauperibus ſe matrem, virginibus altricem, ducemque ad rerum fluxarum deſpicientiam, ſe multis obtulit. At immortali gloria facinus id digniſſimum omnibus ego antetulerim, quod S. Claræ familiæ, imo Deo ter opt. max. ſe ſuaq; pudicitiam, Mater, ſempiternam profeſſa donouere, & humili ſtola ritu Sanctimonialis, corpuſculum ſuũ moriens tegi voluit. Cuius ſane virtutis ac pietatis recordatio, abſenti, ignotoq; mihi animum dedit, vt hoc B. Leandri de virginum inſtitutione opuſculum Sereniſſimo nomini tuo cuperem inſcribere. Quanquam & aliæ cauſæ, vt id auderem hortarentur. Nam Sereniſſimæ, & Auguſtæ ſorori Margarethæ Hiſpaniarum reginæ, bono ſæculi noſtri, & orbis occidui natæ, iam nuper, ſed Caſtellano idiomate libellus hic donatus inſcriptus, dicatuſque fuit; quo iure ad hæredem defunctæ dicam, an immortaliter viuentis, illa poſſeſſio redibat. Iam quid de ſanctiſſimo gentilitatis, & agnationis iure dicam, cum Auſtriacæ domui, non tantum noua hic adnaſci ſtemmata, ſed titulis ſanctimoniæ eam altius aſſurgere videas, non vnius

capitis

Digitized by Google

capitis ſed plurium, id eſt, ſanctorum Epiſcoporum, Leandri, Fulgentij, Iſidori & ſororis Florentinæ illuſtri auctam Iberorum proſapiâ. Habes igitur Ser.ᵐᵉ Princeps Præſules vitæ integritate, & ſtirpis ſatu ſpectatiſsimos, per quos ad Pontificale munus, ceu ad cotem animum exſuſcites, interdum, & acuas. Habes Illuſtrē matronam Sanctiam, in qua Auiæ paternæ Annæ Auguſtæ pietatem recolas; habes Turturam, in qua Mariæ Parentis caſtam, & regnis vtilem fœcunditatem ſuſpicias. Habes deniq́; Florentinam, in qua communem Matris, ſororum & omnium agnatarum pudicitiam illibatam laudes atque recognoſcas. Quid iam amplius? plura adhuc nomina ſuperſunt, quæ ſi exſoluere aggrediar, verendum mihi erit, ne plura debere cogar. Tenue eſt, quod offerimus, diuina propemodum, & heroica ſunt, quæ Societati noſtræ præſtas. Paſſauij Collegium condis, & ædificas; Molshemij auges, & ornas. Hagenoæ, vt aſſurgat agis, & adproperas. An laude & teſtimonio noſtro hæc fieri maiora queunt? ne indigent quidem. Meminiſſe ſatis fuit; quod via nobis vlla non relinquitur alia, qua animi ingrati notam effugere, vel obſeruantiam erga te, Princeps Ser.ᵐᵉ teſtari noſtram poſſimus. Fuldæ Anno MDCXIV. V. Kalend. Septembris.

Serenitatis Veſtræ obſeruantiſsimus
Chriſtophorus Brovverus.

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI SALVTEM DICO ET SCOPVM EDITIONIS.

DEcem ab hinc annis datus eſt in publicum libellus, à S. Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo, de Virginitate, & ratione viuendi Virginum ad Florentinam ſororem conſcriptus. Hunc Prudentius Sandoualius Philippo III. Regi Catholico, ab hiſtoria, & memoria antiquitatis, ex perueteri membranaceo codice litteris Gothicis ab vltima vetuſtate exaratum, translatumque in Hiſpanam, ſeu Caſtellanam linguam, vtroq; idiomate in lucem extulit; & anno Salutis MDCIV. immortalis memoriæ Hiſpaniarum Reginæ Margaritæ Auſtriacæ Caroli Stiriæ Archiducis filiæ inſcripſit. Huic, quia tum à ſacris, & conſcientiæ arcano erat, eximia virtute prudentiaque Sacerdos Societatis IESV, Richardus Hellerus homo Germanus, pro amicitia, & fama nominis, qua Reuerendiſſimus Balthaſar felicis recordationis Abbas Fuldenſis in Germania florebat, ad eum huius libelli exemplar, miſit,

ſed

ſed ſerius quidem, quàm optarat; quia morte iam tũ occupatus, humana ille reliquerat. Is, quia in orbe noſtro quod ſciam, lucem adſpexiſſe, hominumq; notitiã ſubijſſe non videtur, oportunum putaui, cum ad Eccleſiaſticam hiſtoriam nonnullum ſtudium operamque conferre parabam, nec illuſtre hoc pietatis monumentum, in præteritis habere; nõ ſolum, quia perfectioris vitæ cupidis rerum humanarum deſpicientiam commendat, & benè beatèq; viuendi præclara Virginibus præcepta tradit, ſed quia facem quoque præfert à Sandoualio accenſam, qua, Sanctimonia præſtantium, & omni copia doctrinarũ in Hiſpania, trium fratrum Leandri, Fulgentij, Iſidori, Germanæque ſororis eorum Florentinæ, originem, ſtirpem, vitæque rationem, vir ille Polyhiſtor fide ſingulari, ac diligentia, litteris, memoriæque mandauit.

Verùm, quia, cogitationes ille ſuas Caſtellano idiomate noſtris Germanis ignoto patefecit, quærendus mihi interpres fuit, per quem ad plures loquendi poteſtas daretur.

Adhęc Prudentij Sandoualij hiſtoria, quia non paucis locis illuſtrari potuit, nos ex probatioribus, & domeſticis, quæ quidem præſenti inſtituto ſufficerent, nonnulla delibauimus, & Lectoris arbitrio per ordinem litterarum ipſius narrationibus adſerenda, ſeu dijudicanda, reliquimus; Nec diffitemur ex Hiſpaniæ illuſtratæ, aliorumque priſcorum monumentis, hæc potuiſſe fieri ſplendidiora; ſed, quod dicitur, extra chorũ ſaltare, & aliud agere, quam autori propoſi-

poſitum in hoc argumento, nec vtile, nec decorum existimauimus, veriti vt ne Virginitatis quidem illam corollam, niſi æquis æſtimatoribus, & verecundis approbaremus: nam, qui delicatè ac molliter viuunt, & à continentiæ ſtudijs alieniſſimi ſunt, ſuo de rebus his, nihil moror, vtantur iudicio.

Denique ex Originum Benedictinarum recens edito Commentario ab erudito viro Auberto Miræo gratum fuit cognoſcere Prudentium Sandouallium, qui ſe ſcribebat Priorem perpetuum Monaſterij S. Ioannis regalis de Naranco, & Chronographum regium, tandem Epiſcopum creatum Pompebnenſem; & opus præclarum elucubraſſe de fundationibus Monaſteriorum ordinis S. Benedicti in Hiſpania; exordio facto ab anno Chriſti DXL. vſque ad illud tempus quo Mauri Africani Hiſpaniam inuaſerunt, hoc eſt ad annum DCCXIV. Librum autem illum idiomate Hiſpano euulgatum Madriti anno MDCI. Hæc Miræus in deſcriptione Monaſterij S. Petri de Cardena quod circa Chriſti annum DXL. Sanctia Seueriani Ducis mater ſecundo lapide à Burgenſi vrbe in Caſtella veteri familiæ S. Benedicti erexiſſe traditur.

PRV-

PRVDENTII SANDOVALI BENEDICTINI HISTORICI PHILIPPI III. REGIS CATHOLICI

De vita, & natalibus

S. LEANDRI

Archiepiſcopi Hiſpalenſis, & fratrum eius

COMMENTARIOLVS,

A Rd. Patre Ioanne Horion Societatis IESV Theologo ex Hiſpano ſermone in Latinum translatus.

Quis fuerit SEVERIANVS.

APVD Gothos, qui in Italia, Gallia, Hiſpania rerum ſunt potiti, THEODORICI duo eodem prope tempore floruerunt; alter Viſigothorum Rex, quem in Italia regnaſſe, neque vnquam veniſſe in Hiſpaniam, inter idoneos ſcriptores conſtat: alter Oſtrogothus, qui diu verſatus eſt in Gallijs, auunculus, ac tutor Amalarici Viſigothi admodum pueri, qui imperaturus erat in Hiſpania. A *Is, cum Ricimerus* Sueuorum in Gallæcia rex, ea parte qua hodie Legionenſis eſt regio per Gallæcorum montes in nepotis prouincias irrupiſſet; cum validis copijs traierit in Hiſpaniam, vbi non longè ab Aſturica in campis, qui ſunt ad amnem Vrbicum, commiſſa inter vtrumque regem cruenta pugna, Ricimerus Gallæciæ rex victus cæſusque eſt, circa añum Domini quadringenteſimum nonageſimum. Exinde Theodoricus magnis in Hiſpania opibus auctus, tenuit eam annos quindecim: quibus elapſis nepoti Amalarico, qui interea maturam regno ætatem attigerat, decedens, in Galliam ſe recepit. Cæterum quo tempore hic Theodoricus Oſtrogothus vixit in Hiſpania, B *vxorem domum duxit Sanctiam*, è qua liberos ſuſtulit, de qui-

Theodorici duo Gothorum Reges.

Ricimerus Sueuorum rex.

Sanctia Theodorici Oſtrogothorum regis vxor.

de quibus iam mox dicam. Erat ea fæmina, loco admodum illuſtri nata, è vetuſto indigenarum Hiſpanorum ſanguine; atque in eius ditione erat vrbs Mauſina, quam modò Laram vocamus; deinde montes omnes Aucenſes (Idubeda veteribus dicti feruntur) ad eam vſque oram, quæ nunc Alaua dicitur, atque ad Lauretanum portum: tum oppida complura, quorum hodie, adeoque totius vlterioris Caſtellæ caput eſt vrbs Burgi. Refert enim D. Maximus, vir eruditus, & ſanctus, eandem fæminam, viuente etiam D. Benedicto fundaſſe in hac ipſa regione eius diſciplinæ cœnobia, in qua poſtea eſt Burgenſium ciuitas conſtituta. Iam verò quibus temporibus cum Carthaginienſibus bellum in Hiſpania Romanis erat, vrbs in ea celebris fuit, cui Cardoni ſiue Cardoniæ nomen, de qua libro XXXIII. vbi bellum Macedonicum, atque Aſiaticum exequitur, T. Liuius narrat M. Heluidium, qui Hiſpaniam vlteriorem, eum ſcilicet tractum omnem, qui Ibero amne, & octano terminatur, obtinebat, *litteris certiorem feciſſe ſenatum*, duos Hiſpanorum primores, ſiue, vt ipſe appellat, *regulos Colcam, & Luſcinum in armis eſſe: & cum Colca decem, & ſeptem oppida, cum Luſcino validas vrbes Cardonem* ſiue Cardoniam, *& Bardonem*. Ac Bardo quidem huic prouinciæ, quæ deinde Caſtellæ veteris nomen obtinuit, ceteræque deinceps oræ vſque ad mare, Barduliæ nomen reliquit. At verò Cardone templum fuit, in quo Dea Cardea ſiue Cardinea colebatur, quam à Romanis, cum etiam in eorum ſocietate, & amicitia eſſent, acceptam, propterea veteres Hiſpani, qui Aucenſes montes tenebant, in præcipua veneratione habuere, quod in eius cuſtodia ac tutela pecora (in his eorum fere fortunæ omnes ſitæ erant) eſſe crederentur, quibus alendis, paſcendiſq; tota hæc ora perquam idonea, minus eſt ad ceteros prouentus appoſita. Quocirca iam inde à priſcis illis temporibus, id eſt, ab anno abhinc fere bis milleſimo tractus huius oræ planus atque altus ſupra Burgos atque inter ima Aucenſium montium, qua occaſum ſpectant, Cardeniæ retinent nomen. Atque ita S. Maximus Cæſarauguſtanus Epiſcopus ſcriptor antiquus, & ſanctus litteris prodidit, Sanctiam Seueriani matrem fundaſſe Cœnobium S. Petri in Caradina: nimirum proprium atque vſitatum vetuſtiſſima memoria nomen ei regioni tribuens. Nominatum igitur ſemper eſt cœnobium S. Petri de Cardenia, ſiue Cardenienſe, quod ſitum ſit in ea ora, quæ, ab vrbe Cardone ſiue Cardonia, ſit iam olim appellata Cardenia: non autem ob eas cauſas, quas nonnulli veri ignari, homine erudito indignas, atque anilibus fabulis perſimiles

Lara ſeu Mauſina Hiſpan. vrbs.

Burgum vrbs.

S. Benedicti ætate monaſteria in Hiſpania condita.

Cardonum & Cardonia

Liu. l. XXXIII ab V.C.

Cardea Dea Ouid. VI. faſt.

Cardenia tractus.

S. Petri monaſterium à Sanctia.

miles , excogitarunt. Neque verò illæ inter ſe congruunt. quippe alij à fonte deriuant, quem Dinam dictum ſomniant: alij à morte neſcio cuius Theodorici liberorum : alij à cœna, quæ Italis dina. Atqui conſtat annis abhinc minus centum needum huius Cœnobij ſtemmata fontem prætuliſſe, aliaue inſignia, quibus hodie vtitur, ſed vnicum carduum, vti videre eſt in ſigillis, & ſcutis ſub ea tempora in ſaxum inciſis , cum in hoc, de quo loquimur, tum in S. Facundi Cœnobio, cum idem vtrique Abbas præeſſet. Ex aduerſo huius tractus , in ea parte Aucenſium montium, quæ vergit ad orientem, eſt oppidum , quod per multas iam retrò ætates Cardenas vocant, quod ſit velut aditus , ac ianua ad ampliſſima paſcua , quibus nulla vberiora in Aucenſibus montibus reperias , hodieque S. Florentis dicuntur. Ad radices horum montium eſt regium, ſanctum, atque tota Hiſpania celeberrimum S. Æmiliani Cœnobium ſiue antiquitate , ſiue veneratione apud ipſos quoque Barbaros , quorum furor toties, miſerandum in modum populatus Hiſpanias, huc tamen iam inde à S. Benedicti memoria, id eſt, totis mille ſexaginta annis nunquam aſpirare eſt auſus nimirum DEO ſic viſum , aſperrimis temporibus fideles ſuos ſolari, & huius piæ familiæ ſplendorem in Hiſpania tueri. Eſt verò huius Cœnobij tutelaris ac patronus S. Æmilianus, qui id fundauit , in eoque Monachus , ac deinde Abbas fuit. Adhæc, in montibus, qui ſunt iuxta Abulam atque alijs locis, quibus pecus gignitur atque alitur: nonnullos terrarum fines Cardicles etiamnum vocant, quod argumentum eſt à veteribus, ijs locis huiuſmodi nomen eſſe impoſitum, quæ paſtioni eſſent opportuna. Præteres omnis ea ora, quæ inter oppida Salas, & Laram, atque Burgos iacet cognominata eſt Aucenſium, ſiue Auſinenſium regio; atque is qui modò Archiepiſcopus Burgenſis, idem in Concilijs quæ Gothorum temporibus ſunt habita, Epiſcopus Auſicenſis , ſiue Aucenſis appellatur. In hac ergo terra , quippe quæ ſub eius eſſet imperio , Sanctia Seueriani mater, fundauit vetuſtiſſimum Cœnobium S. Petri, quod cognominatur de Cardenia , ea magnitudine , vt Mauri cum depopularentur Hiſpanias , ducentos in eo Monachos , quibus CHRISTI amor ac fides vita potior fuit , Martyres vno die fecerint, quem eis honorem tribuendum nuper Pontifex Maximus cenſuit. Eſt item Sanctia in hoc Cœnobio ſepulta eo ſplendore , & gloria , qua Seueriani tanti Principis matrem , & quatuor ſanctorum hominum, quos mox commemorabimus,

S. Aemilianus celebre monaſterium.

Aucenſium regio.

Aucenſis Epiſcopus, qui iam Archiepiſcopus Burgenſis

Monaſterio de Cardenia 200. Monachi à Mauris martyrio affecti

Sanctia ibi ſepulchrum auia quatuor SS.

rabimus, auiam decebat. Nempe conuenit inter omnes, Theodorico Oſtrogotho Galliæ rege, & Sanctia prognatum eſſe Seuerianum, qui vna cum matre in Hiſpania remanſit, & quoniam auitis opibus, regioque natalium ſplendore præſtans, late dominabatur, Gothorum more, Dux prouinciæ Carthaginienſis eſt appellatus. Itaque Dux Seuerianus paternum genus duxit ab Oſtrogothis regibus, qui Gallias tenuerunt: maternum vero ex antiquiſſima Hiſpaniæ nobilitate eius oræ, quam Caſtellam vlteriorem, & Burgenſem prouinciam dicimus. Ac licet Sanctia omnem prope ætatem Toleti traduxit, quæ fuit ijs temporibus Regum Gothorum ſedes ibidemque vita functa eſt, tamen quod in Cardenia ſit ſepulta, atque inter illos Burgenſes montes Cœnobium condiderit, ſatis oſtendit hic eius fuiſſe natales.

Seuerianus Sanctiæ F.

Sanctiæ natales.

SEUERIANI Ducis liberi.

VXOREM habuit Seuerianus * Turturem, quæ præterquam quod Hiſpana, vnde domo fuerit auctorem equidem non habeo, qui prodat: & fuiſſe Hiſpanam, coniectura fieri poterat ex nomine, quod neque Gothicum eſt, neque Romanum, neque Gallicum, certè fuiſſe illuſtri loco, neque Seueriano indignam par eſt credere. Liberos ex ea ſuſcepit Theodoſiam natu maximam, deinde Leandrum, Fulgentium, Florentinam, & omnium poſtremum Iſidorum. In veteri breuiario Hiſpalenſi adiunguntur ad hos Braulius Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus, & Iuſtina, quæ quinquaginta deuotarum virginum cœnobia rexiſſe, perhibetur. Sed fallitur auctor, vt ex hac regula, quam in lucem edimus planum fiet, in qua B. Leander recenſens ſuos fratres, Braulij non meminit, quem tamen, ſi frater fuiſſet, minimè reticuiſſet. quandoquidem, quo tempore hæc ſcripta ſunt, viuebat. Quæ in breuiario nominatur Iuſtina, eſt eadem quæ Florentina, & alijs eſt Florentia, quod ei nomen ferunt à patre inditum, quod florenti inprimis ſpecie eſſet: & verò ſic erat, ſiue corporis, ſiue animi florem ſpectares. *Theodoſia horum C ſanctorum hominum ſoror* viuis etiam parentibus nupſit Leouigildo Gothorum in Hiſpania regi, priore coniuge Goſvvinta ſine liberis nuper amiſſa. Leouigildi ex Theodoſia filius fuit eximia ſanctitate princeps Hermenegildus, quem pater poſtquam in ſocietatem regij nominis, atque imperij vocatum in matrimonio collocarat, poſtea quod Catholicæ fidei retinens Arianam impietatem deteſtaretur, de

** Turturam.*

Seueriani & Turturæ liberi.

S. Braulius Cæſarauguſtanus.

Florentina eadem & Iuſtina.

Theodoſia.

S. Hermenegildus rex Leouigildi & Theodoſiæ F.

cur, de medio ſuſtulit. quocirca eſt in eorum numero, qui in Diuorum faſtos Apoſtolica autoritate ab Eccleſiis Hiſpaniarum relati, anniuerſariâ memoriâ coluntur; eique S. Gregorius Martyris nomen, & laudem disertè tribuit. Eius frater natu minor, & ipſe ſanctus Recaredus Hiſpaniarum Rex, auunculis ſuis Leandro, & Fulgentio auctoribus, hæc regna, quoad licuit, Ariana labe repurgauit. Sanctitatem denique eius vetera Hiſpaniæ Concilia teſtantur. Atque ita Reges Catholici, qui hodie regnant, ſunt nepotes duorum Cæſarum Caroli V. & Ferdinandi I. Infantis Caſtellæ, abnepotes Ioannæ reginæ, atnepotes Regum Catholicorum, pronepotes omnium Hiſpaniæ Regum, atque adeò, de quo dubitare eſt nefas, ipſius quoque Recaredi. Continguntigitur hos quoq; ſanctos fratres Leādrum, Fulgentium, Florentinam, & Iſidorum, omnes è religioſa familia S. Benedicti, omnes ſingularia Hiſpaniæ decora atque lumina, & quos illa meritò velut præcipuos fidei Doctores veneretur; quippe, quam illi ab Arianis prope exciſam longo interuallo, quaſi nouis inſitis ſurculis, inſtaurarunt.

S Recaredus.

Reges Catholici hodierni in Hiſpania quam alto ſanguine contingant Reges antiquos & ſanctos Hiſpaniæ.

S. LEANDER. D.

S. Leander horum quatuor natu maximus Monachus fuit è diſciplina S. Benedicti, quam amplexum ferunt in aliquo eorum Cœnobiorum, quæ ea ætate erant Hiſpali; ſteteruntque, dum à Mauris eruerentur. Eius Germanus D. Iſidorus hoc ſolum de eo memorat, Monachum fuiſſe: S. Maximus ſcriptor doctus, & ſanctus eorum temporum, ſacrum habitum ſumpſiſſe Hiſpali. fama quoque eſt à maioribus accepta, vixiſſe in Cœnobio Legionenſi S. Claudij; quod vt hodie, olim quoque in poteſtate fuit familiæ Benedictinæ. Magna S. Leandro fuit conſuetudo cum S. Gregorio, & amicitia, vt ipſe Gregorius loquitur, ſingularis, tum, vt opinor, quod vterque S. Benedicti inſtituta profiteretur: tum, quod præſtans erat vtriuſque virtus, de qua inter ſe noſſe cœperant Conſtātinopoli; quò ad Concilium, quod eſt vnum in quinque Oecumenicis, conuenerant, cùm S. Gregorius à Vigilio Papa; S. Leander ab Hiſpaniarum Eccleſia, Legatus eſſet. Fuerit iam tum nec ne Archiepiſcopus Hiſpalenſis needum equidem compertum habeo. Scripſit ſub hæc tempora S. Gregorius libros expoſitionum Moralium in Iob, obſecutus S. Leandro in omnibus, quæ vt in hac expoſitione præſtaret nominatim, magna ſignificatione pietatis rogauerat. quocirca vt in prologo eius operis ſatis oſtendit Gregorius, ipſa eius petitio luculentum fuit eius ingenii, & in ſacris litteris eruditionis documentum. Miſit ad eum quoque librum,

S Leandri Elogia.

Cœnobium S. Claudij Legionenſe.

S. Gregorio Magno Leander familiaris.

Archiepiſ. Hiſpalenſ.

S Gregorij libri ad S. Leandrum

de cura Paſtorali; quo tradit, quæ cura Antiſtitibus Eccleſiæ, prō ſubiectis ſit gerenda. Dedit item ad eum complures epiſtolas amoris, & ſuauitatis plenas. Adhæc Pallium, quo in ſolemnibus ſacrificijs vteretur, tranſmiſit cum litteris, quibus eum de podagræ doloribus, quibus ſe ille conflictari ſcripſerat, conſolatur. Conſtans eſt apud Hiſpanos fama à Gregorio miſſam præterea ad Leandrū hoc tempore E *imaginem Virginis Deiparentis, quæ hodie Guadalupi viſitur*, ſingulare in his Caſtellæ regnis priſcæ ſanctimoniæ monumētum. Ea imago, cùm in quodam illorum montium ſpecu fuiſſet abdita, poſtea ibidem vnà cum corpore S. Fulgentij reperta eſt. Interfuit S. Leander, atq; adeò præfuit, cùm eſſet Legatus Apoſtolicæ ſedis, Concilio Toletano III. Rege Hiſpaniarum Flauio Recaredo, anno Domini DLXXXIX. Primo item Hiſpalenſi, anno DXC. Exilio, alijſq; grauibus malis, atque incommodis, à propinquo ſuo Levvigildo, qui Arianas partes tuebatur, affectus eſt. at is tamen priuſquam exiret è vita reuocatum ab exilio Recardo filio ſuo, magiſtrum dedit, orauitq; (vti narrat S. Gregorius) *vt in ipſo quoque talia faceret, qualia & in fratre, ſuis exhortationibus feciſſet.* Filium viciſſim iuſſit in omnibus illi dicto audientem eſſe. Fecit Recaredus, vt pater imperauerat. ac reductis ad Catholicam Eccleſiā Gothis, coacta eſt ea gratia Synodus Toleti longè celeberrima, in qua S. Leander eleganti ſermone Eccleſiam Catholicam laudauit, deq; conuerſis ad veritatem Gothis Deo gratias egit. Erat quippe ante alios eloquens, & in dicendo mirificæ ſuauitatis. Complura ſcripſit. In exilio quidem duos libros, contra Arianos; ac poſtea tertium, quo eorum errores omninò profligauit. Cum verò iam eſſet Archiepiſcopus Hiſpalenſis hunc tractatum edidit, quo S. Florentinæ ſorori ſuæ præcepta dat vitæ monaſticæ, decerpta e regula S. Benedicti, quam illa procul dubio profitebatur. quippe iam tum ea viuendi ratio, velut delapſa de cælo, plurimum laudabatur. Scripſit & nonnulla multiplici eruditione referta, de diuinis officijs: notas ad pſalmos Dauidis: litteras ad S. Gregorium, alioſq; Antiſtites, in quibus minimè fucata probitas mentis, & acumen ingenij perſpicuè elucet: Fratrem ſuum Iſidorum perquam arctè, atq; attente educauit, vt vel ex hoc ad ſororem libello colligi licet, in quo demonſtrat, quàm præclaras, firmaſque de eius indole ſpes aleret, quas vniuerſus deinde terrarum orbis minimè vanas fuiſſe ſenſit. Equidem explorat ū non habeo, quot annos vixerit, neq; quo anno Archiepiſcopus ſit electus, neque quo anno ex hac vita migrarit in cælum: hoc ſolum comperio, ſcriptum eſſe ab eis fratre, diem ſuum obijſſe regnante Recaredo, eiuſque exceſſum fuiſſe valde admi-

Imago B. Virginis Guadalupi.

Concilia Toletana.

S. Greg. III. Dial. c. XXXI.

S. Leandri ſcripta.

S. Leandri ætas.

admirabilem, propter complura, opinor, ab eo tunc edita miracula. Cæpit autem regnare Recaredus anno Chriſti DLXXXVI. regnauitque annos quindecim. Erat igitur iam S. Leander inter cæleſtes anno Chriſti DCI. Porrò in commentario, quem Redemptus Clericus Hiſpalenſis Eccleſiæ, miſit Braulio Epiſcopo primæ Sedis Cæſarauguſtanæ, de morte S. Iſidori, ait eum, obitis ijs ritibus, quibus ea ætate ad mortem præparari ſolebant, reuerſum ad ſuam Cellam, quarto poſt die, pridie Kalend. April. requieuiſſe in pace, cum quadraginta ipſos annos Pontificis munus geſſiſſet, Era DCLXXIV, qui eſt annus partę ſalutis DCXXXVI. Quod ſi ita eſt, cum Iſidorus proximè fratri in ſede Hiſpalenſi ſucceſſerit, conſequens videtur, vt S. Leander inter mortales eſſe deſierit vltimo Recaredi anno. Quòd ad diem obitus, Vſuardus in Martyrologio, & Beda ſtatuunt III. Idus Mart, quem diem non paucæ Eccleſiæ eius glorioſæ in cælos migrationi ſacrum, & feſtum colunt.

Annus & dies obitus.

S. FVLGENTIVS. F.

FVit frater S. Leandri natu proximus, de quo ipſe meminit in hac regula. Secutus eſt inſtituta S. Benedicti. vir ſanctitate, eruditione, incenſo aduerſus Arianos odio fratribus ſimillimus. Linguam Hebræam, Græcam, Arabicam, Syram, Latinam apprimè calluit. Scripſit in Euangelia, Iſaiam, duodecim minores Prophetas, Pentateuchum, libros Regum. Reperitur quoque in regio cœnobio Onienſi eius in pſalmos commentarius ſcriptus litteris Gothicis, ſiue Longobardicis, volumen ſanè ſpiſſum, præſtans, & rarum. Scripſit præterea librum de Incarnatione Filij Dei. Fuit Epiſcopus Aſtigitanæ Eccleſiæ, nullius præterea. Neque enim per ea tempora moris erat, vti hodie, rei vel dignitatis augendæ ſtudio, *& plures ſimul Epiſcopatus ſuſtinere*, ſiue quod omnes ambitus cauſſas procul haberi volebant, ſiue quod morem gerendum cenſebant Apoſtolo, iubenti Epiſcopum vnius vxoris virum eſſe. Subſcripſit ipſe Epiſcopus Aſtigitanus decreto Regis Gundemari anno Chriſti DCX. Aſtigitani præcipua eum pietate complectuntur. oſtenditur domus non longè ab æde S. Crucis, quæ eſt ſacrarum maxima; in qua fama eſt, eum habitare ſolitum; Seruantur ibidem eius reliquiæ, atque etiam in vico Bezzocano tribus leucis à Guadalupo, vbi, cum Hiſpania in hoſtium poteſtatem veniſſet, eius corpus cum aliis Diuorum reliquiis abſconditum, ac deinde repertum eſt vnà cum ſancta imagine Guadalupenſi.

S. Fulgent. ex diſciplina S. Benedicti.

Linguarũ peritia

Scripti ab eo libri.

Aſtigitanus Epiſc.

I. Tim. III.

Corpus & reliquiæ S. Fulgent.

S. ISIDORVS. H.

S. Iſidorus Doctor Hiſpaniarum. A fratre S. Leandro educatus.

S. Iſidorus Hiſpaniarum Doctor (ſic eum nominat Rex Ferdinandus cognomento magnus) parentum ſuorum deliciæ, quippe liberorum poſtremus adeò paruulus eos amiſit, vt vix per ætatem noſſe potuerit. Eductus à S. Leandro germano ſuo ad ſummam, vt fatentur omnes, ſanctimoniæ, & eruditionis gloriam euaſit. Viuendi morem & ipſe è S. Benedicti præceptis tenuit. quocirca Monachis terræ Bæticæ eius regulam tradidit ab ſe in linguam plebeiam, ſiue, vt ipſe loquitur ruſticam, quò facilius intelligeretur ab omnibus, traductam. Venit ipſe quoque Toletum cum Fulgentio germano ſuo, anno Domini DCX. vbi Gundemarum conuenit Regem cum primis Catholicum; ac ſimul eius decretũ ſua auctoritate confirmauit, quod ſacerdotibus Carthaginienſis Prouinciæ erat propoſitum. Interfuit alijs deinde conciliis. Acque, vt alia prætercam, quæ perſequi non eſt huius loci, mortuus eſt, vt ante dixi, anno Chriſti DCXXXVI. & Hiſpalenſi in Eccleſia ſepultus. Inde eius corpus Legionem à Ferdinando Magno Rege translatum eſt, vt alibi memini, cùm de Cœnobio regio S. Iſidori, quod Legione eſt, agerem.

Annus obitus.

Monaſterium Regium S. Iſidori.

S. FLORENTINA. I.

S. Florentina in Aſtigenſi Parthenone claruit.

QVANTVM ex hac regula aſſequi poſſum, hæc S. Virgo iam inde à primis annis in Cœnobium à patria ſemotum ſeſe abdidit. Eſt Aſtigi Cœnobium extra vrbis muros ad ripam Singulis fluminis, quod hodie à deuotis Virginibus incolitur ex arctiſſima diſciplina Hieronymiana, & appellatur S. Mariæ in valle. in hoc ferunt S. Florentinã ſanctioris vitæ genus coluiſſe, & Antiſtitẽ fuiſſe. certè eſt in eo turris vetuſti operis, quæ etiãnũ S. Florẽtinæ dicitur. an. vero MCCCCLXXVI. ſupererat præterea templum, q. veteris Cœnobii fuiſſe credebatur, tum verò hominum in ſolitudine degentium domicilium factum erat. Quid quod Stephanus Oſcenſis vir religioſus, & magnis in rem Chriſtianam meritis atque virtutibus, qui modo Prior eſt in Cœnobio Meliorata, non longè ab vrbe Vlmeto, teſtatur ſe cum vetuſta quædam ædificia diruerentur, vidiſſe cùm è riſco veſtes partim candidæ, partim atræ extraherentur, ex eo panni genere, quod vulgo Stammetum vocant, eius omnino formæ, cuius ſunt, quibus ſacræ Virgines Benedictinæ vtuntur. erant enim cuculli, vela, colobia ſiue ſcapularia nigra, tunicæ verò candidæ. Ferunt hoc Cœnobium vſque ad ea tempora viguiſſe, quibus Mauri vaſtarunt Hiſpaniam. tunc enim & ipſum exciſum

Monumẽta priſca ſedis.

Maurorum per-

ciſum eſſe, & multas virgines pro Chriſto interemptas, atque ex his nonnullas cum acceptis vulneribus, miſeris modis habitæ in vrbem fugerent, viam ſuo ſanguine reſperſiſſe, denique à perſequentibus barbaris eſſe trucidatas. ea via hodieque cognominatur via virginum, quæ cum alias, tum præcipuè ſanctioribus Quadrageſimæ diebus pietatis cauſa à populo celebratur. Extat aliud quoque cœnobium virginum à S. Dominico, quod S. Florentinæ cognomentum retinet, eamque tutelarem colit: quam tutelam præſtat & ſodalitio, ac Xenodochio perantiquo. Singulari pietate complectebatur Florentina myſterium Incarnationis filij Dei; neque Iudæos, qui eam non crederent, ferre poterat. Eapropter germanum ſuum S. Iſidorum orauit, vt quæ de vtraque natiuitate, de paſſione, morte, reſurrectione, alijſque myſterijs Saluatoris noſtri annotata haberet, ea collecta ad ſe mitteret. Morem ille geſſit ſorori compoſito libro, qui inſcribitur de fide Catholica contra Iudæos. Quinquaginta omninò cœnobijs præfuit, in quibus mille virgines numerabantur. Fama eſt vixiſſe annos octoginta, ſed quoto Chriſti anno viuendi finem fecerit obſcurum eſt.

ſequutio contra virgines ſacras.

Cœnobium S. Florentinæ.

Incarnationis myſterium.

S. Florentina Quinquaginta aſceterijs & mille virgin præeſt.

MONACHI, ET SANCTIMONIALES in Hiſpania ante ætatem S. Benedicti. K.

POSTQVAM de quatuor his fratribus ſanctitate illuſtribus breuiter dixi, pauca de Monachis quoque adiungam, qui ante S. Benedicti ætatem fuerunt in Hiſpania; & quænam fuerit eorum vitæ degendæ ratio. Iam enim ducentis eoque amplius annis ante S. Benedictum reperiebantur qui Monaſticum viuendi genus ſequerentur, quorum vt inſtituta æmularetur aduenit ex Italia S. Paulinus anno Chriſti CCCLXXXII. vir humaniorum litteratum in primis Romæ laude florens, quod mutuæ inter ipſum, atque Auſonium litteræ ſatis oſtendunt, vt vel hinc intelligas nunquam illum ea gratia in Hiſpaniam venturum fuiſſe, niſi plurimum in ea religioſæ, & ſeuerioris vitæ ſtudia viguiſſent. Et eſt compertum, hunc eſſe illum Paulinum Nolanum Epiſcopum, ad quem extat S. Hieronymi epiſtola de inſtitutione Monachi. Neque verò L *de antiquitate Monachorum in Hiſpania* relictus eſt vllus dubitandi locus. De ſacris Deo virginibus vetuſtiſſima memoria eſt in Concilio II. Hiſpalenſi anno Chriſti DCIX. temporibus

S. Paulinus Nolanus monaſticen colit in Hiſpania.

Virgines ſacra in Hiſpania.

Hhh Siſe-

Con. II. Hiſpan can. 11.

Siſebuti regis, cuius canone vndecimo præcipitur, *vt Monaſteria virginum, Monachorum adminiſtratione, ac præſidio gubernentur. ea tamen diſciplina cautela ſeruata, ne vel ei qui præficitur extra eam quæ præeſt, loqui virginibus Chriſti liceat. Nec cum ſola*, inquit, *frequenter loqui oportet, ſed ſub teſtimonio duarum, aut trium ſororum. ita vt rara ſit acceſſio, & breuis omninò locutio.* Vetat item *ne Monachi, quod dictu nefas ſit, Chriſti virginibus familiares ſint.* Denique vt is, qui præficitur *ſit probatiſſimus.* Hæc atque alia in eandem fere ſententiam ſanciuntur, magno ſanè pondere verborum. Præſedit ei Concilio Metropolitanus S. Iſidorus, & S. Fulgentius eius germanus affuit. Eſt quidem ea conſtitutio, vt ibidem dicitur, earum virginum gratia facta, quæ erant in Bætica; ſed nemini dubium eſſe poteſt, quin ad eas quoque pertinuerit, quæ in alijs Hiſpaniæ partibus verſabantur. certè conſentit ea cum ijs præceptis, quæ à S. Leandro S. Florentinæ ſorori hac regula ſunt, tradita.

NOTÆ

NOTÆ AD COMMENTARIOLVM PRVD. SANDOVALI.

IS CVM RICIMERVS. A.

HVNC Rechila natum Ioan. Mariana lib. v. ad an. ccccxlviii. cap. iii. primum, ait, ex Sueuorum regibus, in Hiſpania Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe; alioque nomine appellat Recciarium. Rodericus Toletanus lib. ii. c. ix. de rebus Hiſpaniæ, Rechiarium nuncupauit, quem ipſum aliosque ſecutus Mariana, ad ccccLv. narrat, diſcordia inter Theodoricum Oſtrogothorum & Recciarium exorta, poſthabito affinitatis iure ventum ad arma. Theodoricum, adiunctis ſibi Burgundionum, & Francorum auxilijs, Pyrenæum tranſcendiſſe, atq; ad Vrbicum flumen Hiberiam præterfluens atque Aſturicam, in Calæciæ finibus congreſſum, fudiſſe, fugaſſeque Sueuum, qui cum accepto vulnere, naui petit Africam, reiectus in Calæ portum, qua Durius in Oceanum euoluitur, victoris iuſſu peremptus eſt, eius ſeculi anno Lvi. Adone Vienneſi teſte.

Ricimerus Sueuorum rex primus in Hiſpan. Chriſtianus.

Interemptus iuſſu Theodorici Oſtrogothorum regis.

VXOREM DOMVM DVXIT SANctiam. B.

NEscio an omni careat ſcrupulo, quod Theodoricus Oſtrogothus, qui plurimum in Gallia ſedem, & domicilium habuit, ſcribitur ex primigeniæ gentis Hiſpanorum clariſſima matrona Sanctia ſuſcepiſſe Seuerianum, & ipſo redeunte in Galliam patre, vxorem, & liberos, velut orbos ſemper reliquiſſe in Hiſpania. Niſi hoc pietati & ſpontaneo diuortio ob diſparitatem cultus, forte dandũ ſit. Repudiat Mariana ſententiam eorum, qui Theodoricum Italiæ regem in Hiſpaniam veniſſe contendunt; prorſusque eijcit; quamuis à Luca Tudenſi affirmatum, Toleti eundem vxorem duxiſſe, ex antiquo Hiſpanorum ſanguine, Eius precibus victum, veteribus Hiſpanis reddidiſſe libertatem. Natum ex his nuptijs Seuerianum Leandri, & Iſidori patrem, quod neque veritati conſentaneum, nec cum ratione temporum conuenire putat. Sed ita ſenſiſſe, qui Theodoricum ipſum Oſtrogothum Vuiſigothorum Regem fuiſſe tradiderunt, mirum non eſt.

Sanctia cum Theodorico rege diuortium.

Sententia de Theodorici VViſigoth regis in Hiſpan. aduentu reiecta.

Seueriani Coniugem & Matrem tot Sanctorum, meminit Filius S. Leander renunciaſſe ſæculo; forti animo: patriam, quam repetierat, deſeruiſſe, & adhæſiſſe filiæ Florentinæ. Nomen ei Turtur vel Turtura, quod neſcio, cur neget Sandoualius, eſſe Romanum.

THEODOSIA HORVM SANCTORUM hominum ſoror. C.

Leuuigildus Rex ex Theodoſia par Regum ſuſcipit. Carthago hac Hiſpaniæ dicta Spartaria. Toletana Prouincia. S Hermenegildus. Ad Cantica Epiſt. dedicator.

MARIANA lib. v. de rebus Hiſpaniæ, Cap. XI. Athanagildi ſucceſſor Liuua. Is anno regni ſecundo DLVIII. Gothica Galliæ ditione contentus, ad Leuuigildum fratrem Hiſpanici regni conſórtium tranſmiſit; geminamque hic prolem ex Theodoſia ſuſtulit, quæ fuit Seueriani Carthaginenſis Prouinciæ Ducis ac Præfecti filia; Leandri, Fulgentij, Iſidori Florentinæque ſoror. Leuuigildi filij Ermenegildus, & Reccaredus: Ille Martyrij præclarus & Confeſſionis Catholicæ; vt merito præconium ex hoc Nepote quæſierit Sereniſſimo Ferdinando Auſtriæ Archiduci Antonius DELRIO, ob exſtirpatam hæreſin, & vindicatam Catholicam religionem.

S. LEANDER. D.

S. Leandri elogium.

MARIANA lib v. cap. XII. ſub an. DLXXIX. Leander Conſtantinopolim ad Tiberium Aug. nauigauit. ex Monacho Benedictino Hiſpalenſis Epiſcopus, ſingulari eruditione, morum probitate eximia; neque minori orationis ſuauitate, & elegantia. Res eo tempore comparanda miraculo. Pro qua re iuerat, parum profeciſſe arbitror. Synodo tamen Epiſcoporum interfuit, & cum Gregorio, cui poſtmodum Magni cognomen acceſſit, & Legati partes pro Pelagio ſecundo implebat, vſum habuit. Ex vitæ & ſtudiorum ſimilitudine voluntates conciliatas, indicio ſunt Libri Moralium à Gregorio Leandri hortatu, eiuſque nomine in publicum dati. De S. Leandro apud ipſum, & alios plura inuenias. Noſter etiam Maldonata, eius vitæ breuiarium edidit, quæ extat apud Haræum.

VIRGINIS DEIPARENTIS IMAGO Guadalupea: E.

MARIANA lib. VI. cap. I. ſub an. DXCI. vbi de Gregorij Magni Reſcriptis ac Epiſtolis ad S. Leandrum datis diſertè meminit. Fama, inquit, ſine vllo certo auctore, vulgo iactatur inter Hiſpanos Regis (Reccaredi) Legatos Virginis matris ſculptilem ex ligno imaginem ad Leandrum attuliſſe, eiuſdem Gregorii donum.

Digitized by Google

num. Eſſeque illam, quæ longo poſt tempore in ſpecu quodam reperta, vna cum Fulgentii Aſtigitani corpore præcipua totius Hiſpaniæ religione colitur ad Guadalupeum oppidum templo dicato.

num B Leandro miſſum.

BIBLIOTHECÆ HISP. CAP. V. EX *Joanne Marietta.*

GVALDALVPENSE Monaſterium B. Virginis ad aquas Lupias imaginem eam eſſe accolæ tradunt, quam, & S. Lucas pinxerit, & quæ Gregorii Papæ temporibus, graſſante Romæ peſtilenti lue, dum geſtaretur accinuiſſe angeli feruntur hymnum illum, Regina cœli.

Templum Alfonſus II. exædificauit. Ioannes vero I. Hieronymianis ſodalibus templum, & imaginem credidit.

S. Luca picta, at Guadalupea ex ligno ſculpta.
De Imagine ſententia diuerſa Hieronymiani.

FVLGENTIVS. F.

DE Fulgentio Ioannes Mariana lib. VI. cap. I. Fulgentii & Florentinæ ſororis corpora ad Barrocanum pagum, non procul Quadalupeo oppido, vbi ſimul reperta ſunt, conſeruantur.

SS Fulgentij & Florentinæ tumuli.

Lib. V. cap XIII. Leuuigildus Arrianus, oppreſſo filio Ermenigildo Martyre, delendæ Catholicæ Religionis cauſſa, viros quoſque ſanctiſſimos exiliis multauit. Leandrum Hiſpalenſem Præſulem; Fulgentium Aſtigitanum, quibus imprimis iratus erat, quia partibus Hermenigildi id eſt Catholicorum ſtuduerant.

PLVRES SIMVL EPISCOPATVS *ſuſtinere.* G.

EVENISSE ibidem affirmat Mariana, vt vice verſa vnius Eccleſiæ plures eſſent Epiſcopi: nam orbatis per exilia Cathedris, tranquillitate Eccleſiæ reddita, factum credi, vt contra quam Eccleſiaſticis legibus cauetur, duo aliquando eſſent eiuſdem vrbis Epiſcopi, vti publica eius ætatis acta teſtantur, quia exules reſtituti ſcilicet ſuperuenirent ſibi ſubſtitutis. Itaque pacis ſtudio, nouum exemplum inductum.

Vnius Eccleſia plures Epiſcop.

JSIDORVS. H.

PRæclarum vitæ mortiſque eius Elogium apud Marianam legitur lib. VI. cap. VII. quem conſulas licet; vt & libros ab eo magna doctrinæ laude ſcriptos.

S. FLORENTINA. I.

XX. Iunii Martyrol. Rom. *Hiſpali S. Florentia Virg: S S. Leandri & Iſidori.* Mariana lib. VI. cap. I.

Digitized by Google

Aſtigi Parthenon S. Florentinæ

Aſtigi Florentinam vitam exegiſſe tradunt, quadraginta Virginum Collegijs præfectam; vbi & domus, in qua vixit, monſtratur; & præcipui Virginum Collegij veſtigia, ad Singilis hoc eſt Xenilis fluminis ripam; quo loco D. Hieronymi nomine Monaſteriũ extat.

MONACHI IN HISPANIA. K.

S. Paulini Nolani rudimenta monaſtica

MARIANA lib. IV. C. XX. ad an. CCCXCIV. Pontius Paulinus Burdigalenſis patria, in Hiſpania citeriore moram traxit, ipſe & vxor Pheraſia Barcinone Presbyter factus eſt, nullius Eccleſiæ miniſterio addictus, nouo exemplo ac propemodum ſingulari. Inde gradus factus ad Nolanum Epiſcopatum, cum ex Hiſpania in Italiam migraſſet.

Sed illuſtrius Paulini nomen, quam cui lucem hic maiorem dare poſſimus. Vide tamen Auſonij Poëma, & ipſius ad Auſonium de ſeceſſu Hiſpanico; & S. Ambroſij Epiſtolam ad Sabinum, de eius migratione è Senatu ad Eremum. Denique legatur S. Paulini Epiſtola ad Seuerum, qua ætatis ſuæ Monachorum rigidum cultum victumq; contra Marracinum quendam, graphicè depingit.

DE ANTIQVITATE MONACHOrum in Hiſpania. L.

Donatus monaſticæ in Hiſpan. propagator. Seruitanũ Monaſterium Monachi vetuſtiores.

MARIANA lib. V. C. XI. ad an. DLXXII. Gregorio Turonenſi æqualis Donatus Monachus, adiunctis ſeptuaginta ſocijs, ex Africa venit in Hiſpaniam; & opibus Minicex præpotentis fœminæ & copioſæ, Seruitano Monaſterio exſtructo, Serabi, vt plerisque placet monaſticam viuendi rationem certis nimirum legibus inſtitutiſq; temperatam inuexit primus in Hiſpaniam, vt Illefonſus ſcribit. Monachi. n. quorum in actis Conciliorum Hiſpaniæ ante hæc tempora mentio extat, aut nulla votorum religione conſtricti erant, aut diſſipati per ſiluas vitam exigebant ſolitariam. Porro de Donato Ioannis Biclarienſis Chronicon.

Eutropius Abbas Seruitanus.

Donatus Abbas Monaſterij Seruitani mirabilium operator clarus habetur an. V. Iuſtini. Ad an. II. Mauritij Imp. Eutropius, Abbas Monaſterii Seruitani diſcipulus S. Donati clarus habetur: qui & an. IV. Recaredi, cum S. Leandro præfuit Synodo Toletanæ.

*Dumienſ. S. Martinus Dumienſis.

Ceterum Monaſticæ in Hiſpania propagator inſignis Martinus Dumenſis * Monaſterij ſanctiſſimus Epiſcopus, & in Galætta Sueuorum columen, & Apoſtolus; de quo S. Iſidorus. *Monaſteria condidit copioſaque præcepta piæ inſtitutionis compoſuit.* Sed de illo lib. V. poematum magnificè Venantius Fortunatus; & nos ibidem in notis eius, Præconio quoque S. viri induſſimus.

Ad

Digitized by Google

AD LIBRVM S. LEANDRI DE VIRGINITATE.

ISIDORVS in vitis illuſtr Epiſc. In Leandro cap. XXVIII. *Præterea edidit vnum ad Florentinam ſororem, de Inſtitutione Virginum, & contemptu mundi libellum, diſtinctionibus prænotatum.*

Paulo aliter in edita Hiſpaniæ Bibliothecæ, inter ineditos libros S. Leandri, enumerantur tanquam diſtincti Tractatus,

De contemptu mundi ad Florentiam ſororem.

De Virginum inſtitutione.

S. Braulio Cæſaraugustanus Epiſcopus item in vita S. Iſidori citatur ad XX. Iun. in Martyrol. Romano, ceu Iſidorus ipſe duos libros de Virginitate ad Florentinam ſororem ſcripſiſſet. At verò Braulionis inſpecto diligentius Catalogo, deprehenditur id modo, Iſidorum, quod & alii meminerunt, ſcripſiſſe contra Iudæos, poſtulante Florentina germana ſua, propoſito Virgine, libros duos. Conſule Hiſpaniæ illuſtratæ Tomum II.

Notatio. Baronij Erratum μνημονικὸν de Iſidoro ſeu ſcriptore lib. de Virgin.

Andreas noſter Scottus de litteris, & omni antiquitate bene meritus, in Notis ſuis ad Roderici Toletani hiſtoriam, vbi libelli huius à S. Leandro conſcripti mentio fit, ait, exemplar eius ſe vidiſſe in Bibliotheca Toletana, & in Concil. Tolet. Ambroſij Moralis lib. XII. c. III.

Ceterum libellus hic bipartitus, duplici velut argumento ſe diffundit; prima namque parte in mundi contemptum, & Virginitatis laudem præclarè excurrit; altera, quæ diſtinctione prænotatus, Virginem per morum, atque aſceticæ diſciplinæ præcepta accuratè inſtituit; quæ quia plano, & Tractatoribus Eccleſiaſticis vſitato orationis genere explicantur, commentario, vel ſcholijs inſtrui, habeas pro ſuperuacaneo. Vnica, fateor, vox Eptatichus aduertit animum, ne præterijſſe viderer diu quæſita; ac, neſcio, an ex S. Auguſtini ſententia conſtitui eius notio poſſit. Libros ſuos locutionum retractans, eos ſeptem ſe feciſſe meminit, de SEPTEM LIBRIS diuinarum ſcripturarum, id eſt, Moiſi quinque, & vno

Libelli partitio.

IESV

IESV naue, & altero Iudicum notatis locutionibus ſingulorum, quę minus vſitatæ linguæ latinæ. Atque hunc librorum ſyllabum S. Leandrum ex vſu ſui temporis exiſtimem appellaſſe ἑπτάπτυχον, ea forma qua veteres dixere δίπτυχον. Apollinaris Sidonius, lib. v. Epiſt. xv. ad Ruricium Heptateuchi librum celebrat à ſe relectum, & retractatum. In quem locum Iacobus Sirmondus Soc. IESV interpres, Pentateuchum, cum Triteuchus, id eſt, libri Ioſue, Iudices, & Ruth ſuperaddebantur, fuiſſe dictum Octateuchum, vt Athanas. ad Marcellin. Et Caſſiodorus c. 1. Diuin. Inſtit. & Græci, ſcribentes εἰς τὴν ὀκτάτευχον. Sed, quia Hebræi librum Ruth in Iudicum librum transfudere; inde factum, vt Heptateuchum plerique pro octateucho, vſurparint. Hieron. Epiſt. VII. & XXVII. Et Sidon. ante citatus. Idem longè ante à doctiſſimis viris, quibus Gregorius XIII. Iuris Canonici corrigendi prouinciam mandauit, annotatum obſeruo. Diſtinct. xv. ad cap. ſancta Romana; vbi pro Pentateucho ex Iuone legendum monent, Heptateuchum; vt vltra quinque libros comprehendat librum Ioſue & Iudicum; qua voce ac librorum coniunctione vſus ſit D. Hieronymus ad Lucinium ſcribens. Alios * Heptatycum appellare, vt S. Gregorius, lib. VII. Ind. II. Epiſtola XLVIII. & lib. X. Epiſt. XXII. & alibi; & Rabanus præfatione in Hieremiam, & ordo Romanus cap. de Septuageſima.

* Heptatiχον.

REGV-

REGVLA S. LEANDRI AD FLORENTINAM

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

INCIPIT LIBER B. LEANDRI HISPALENSIS ECCLESIÆ EPISCOPI EDITVS AD FLORENTINAM SORORᴇᴍ SVAM DE INſtitutione Virginum.

PERQVIRENTI mihi Soror chariſſima, Florentina, quibus te diuitiarum cumulis hæredem facerem, qua te patrimonij ſorte ditarem; multæ rerum fallacium occurrebant imagines; quas cum ego, vt importunas muſcas manu mentis abigerem, tacitus aiebam: Aurum & argentum de terra eſt, & in terram reuertitur; fundus & patrimoniorum redditus, vilia & tranſitoria ſunt præterit enim figura huius mundi Quidquid enim ſub ſole conſpexi, nihil te dignum, ſoror arbitratus ſum; nihil muneri tuo credidi eſſe gratiſſimum. Omnia mutabunda, caduca, & vana fore conſpexi. Vnde veram eſſe attendi Salomonis ſententiam dicentis: * Magnificaui opera mea; ædificaui mihi domos; & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conſeui ea cunctis generibus arborum; & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam germinantium lignorum: poſſedi ſeruos & ancillas, multamque familiam habui; armenta quoque & agnos, ouium greges, & caprarum, vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem. Coaceruaui mihi argentum & aurum; & ſubſtantias regum ac prouinciarum; feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum; ſcyphos, & vrceos in miniſterio ad vina fundenda. Et ſupergreſſus ſum operibus omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem. Quam omnem mortalium pompam, tali termino concluſit, vt diceret. Cumque me conuertiſſem ad vniuerſa opera,

*1. Cor 7. Vanitas vanitatum dixit Eccleſiaſtes & omnia vanitas. * Id eſt magnifica opera extruxi. Eccl 2.*

quæ fecerant manus meæ, & labores, in quibus fruſtra ſudaueram; vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi; & nihil permanere ſub Sole. Et iterum ipſe dicit. Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub Sole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, vtrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui & ſolicitus fui, & eſt quicquam tam vanum? Vnde ceſſaui, renunciauique cor meum vltra laborare ſub ſole. Tali quoque informatus oraculo, non eſſe me parentem verum exiſtimarem, ſoror, ſi te his ditarem rebus, quæ ſtabilitate nulla conſiſterent; quæ mundanis ſubtractæ caſibus te deſtituerent, nudamque relinquerent; ærumnis quoque te cumularem & timore metuque ſubijcerem, ſi ea, quæ fur auferre poterat, ſulcare tinea, ærugo vorare, ignis abſumere, terra obruere, aqua delere, ſol torrere, Imber fœdare, glacies ſtringere; tuæ germanitati conferenda eſſe putarem. His certè rebus humanis implicatus animus, à Deo auertitur; & ab illa immobili, ac permanentis veritatis forma recedit. Nec poteſt ad ſe admittere diuini verbi dulcedinem, aut Spiritus ſancti ſuauitatem, pectus, quod tot mundanis agitatur moleſtijs, tot curarum temporalium ſtimulis verberatur. Si ego te his nexibus alligarem, talibus onerarem ponderibus, mole terrenæ cogitationis opprimerem, inimicum me, non parentem, deberes extimare, interemptorem, non fratrē eſſe ſentires. Eia, ſoror chariſſima, quoniā quicquid axe cœli concluditur, terrena ſuſtinet fundamenta, & telluris ſuper faciem voluitur; nihil dignum, quo ditari poſſis inuenimus, ſupra cœlos quęrendum eſt. Vnde munus virginitatis auxiſti; vt tibi pręmium & patrimonium virginitatis inuenias. Ex compenſatione integritatis meritum agnoſcitur, & de ſua retributione penſatur; quanto enim vilis putaretur, ſi tranſitorijs, terreniſque ditaretur muneribus, tanto præclara eſt virginitas excellenſque, calcatis abdicatiſque mundanis voluptatibus, dum in terris Angelorum ſeruat integritatem. Dominum Angelorum ſortita eſt portionem; quæ ergo eſt virginitatis hæreditas? nonne ea, quam dicit Pſalmiſta? Dominus pars hæreditatis meæ: & iterum, Portio mea Dominus. Vide ſoror quantum profeceris; vide quam ſummum teneas apicem, vt multorum gratiam beneficiorum in * vnum eundemque inueneris Chriſtum. Sponſus eſt, frater eſt, amicus eſt, hæreditas eſt, pretium eſt, Deus & Dominus eſt. Habes in eo ſponſum, quem diligas, ſpecioſus eſt enim forma præ filijs hominum. Eſt * enim verus frater quem teneas, adoptione enim es tu eius filia, cuius filius eſt ille natura. Eſt amicus, de quo non dubites; ipſe e-

Hoc eſt quod ait Dominus: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.

Virginitatis quam nobilis poſſeſſio.

** vno eodemque Chriſto Chriſtus ſponſus portio virginis.*

** tenean.*

Ipſe enim dicit. Vna eſt amica mea. Habes in eo hæreditatem, quam ambias: pars enim hæreditatis tuæ ipſe eſt. Habes in eo pretium, quod agnoſcas; quia ſanguis eius redemptio tua eſt. Habes in eo Deum à quo regaris, Dominum, quem metuas & honores. Totam ſibi in Chriſto prærogatiuam virginitas vindicat: vt, ante quem tremunt Angeli, cui ſeruiunt poteſtates: cui virtutes obtemperant; cui cæleſtia & terreſtria genuflectant, hunc ſibi virgo ſponſum vindicet: ad huius thalamum ornata virtutibus properet: hunc cubili cordis, caſto cubili confoueat. & quid amplius ei conferre potuit, cui ſe Chriſtus ſponſum tribuit & ſanguinem ſuum dotis, ac muneris titulo compenſauit? Solent ergo qui vxores ducunt, dotes tribuere, conferre præmia, & ad vicem perdendi pudoris, ſua tradere patrimonia, vt emiſſe potius quam duxiſſe videantur vxores: tuus, virgo, ſponſus dotem tibi ſanguinem ſuum dedit; eo te redemit, eo te ſuæ copulæ ſociauit, vt pudorem non perdas, & habeas pręmia: quanto enim eſt munificentius dotis prę́mium; tanto eſt amor immenſior: multum enim diligit quam proprio ſibi ſanguine deſponſauit. & ob hoc ſuum corpus vulneris ictu, & telo gladij maluit aperiri, vt tuam ſibi integritatem emeret, pudicitiam conſecraret. E contrario enim curauit hominem. vt ſicut honor eius, vita eſt noſtra; eiusque humilitas, noſtræ eſt ſuperbiæ medicina, ſic & vulneribus ipſius noſtra integritas empta eſt, qui ideò feriri ſe vulnere voluit, ne malleo vniuerſæ terræ nos feriri ſineret. Precio enim empti eſtis, ait Apoſtolus, nolite fieri ſerui hominum. Cur Virgo dare vis corpus viro; quod iam eſt redemptũ à Chriſto? alius te redemit, & alij nubere cupis? alterius precio * libertatis militas, & ſpontanea te ſeruitute condemnas? Si mundus omnis titulo dotis ſcribitur, quid precioſius ſanguine Chriſti, quo redemptus eſt mundus? Appende mercedem & precium, vt videas plus valere qui redemit, quam id, quod redemit. Quanto itaque prauè intelligit virgo, quæ contempto emptore, mercem ſequitur: & ſanguine Chriſti poſtpoſito, mundum qui redemptus eſt amplexatur? Non ſum idoneus eloqui, ſoror amantiſſima, præmia virginitatis. Eſt enim ineffabile donum, abſconſum oculis, celatum auribus, intelligentiæ obſeratum. Quod omnes eſſe ſperant ſancti, & poſt reſurrectionem cuncta præſtolatur eccleſia fieri; vos iam eſtis. Corruptibile hoc, ait Apoſtolus, induet incorruptionem: ſed, reuera, poſt reſurrectionem corporis. Ecce vos incorruptionis gloriam iam ſcitis, vos iam in præſenti ſæculo partẽ gloriæ poſſidetis. Quanta eſt enim beatitudo, quæ nobis reponitur in futurũ? quæ nobis corona manet in æternũ? quę incorruptio-

Dos virginis Christi sanguis.

1. Cor. 7.

** liberatis.*

Virginitatis præmia.

1 Cor. 15.

Digitized by Google

nis gratiâ, ad quam multi peruenire deſiderant. hic habetis. Gaude ergo talem te eſſe, qualis Dei formata es manibus. Ille ergo integram condidit vtique quam integritate ditauit; quam ad integritatis præmia præparauit. Peruerſi enim naturam corrumpũt homines, quam Deus formauit integram: & hæc offenſa humani generis prima. hæc damnatæ originis cauſa, dum protoplaſti eſſe noluerunt, quod fuerunt conditi: Idcirco meruerunt in ſe & in prole damnari. Reparatæ caſtimoniæ in vobis retentaculum, ô virgines, quod perdiderunt in paradiſo primi homines. Vos enim cõditionem reſeruaſtis primigenarum hominum, quæ tales perſeueraſtis, quales illi ſunt inſtituti. Sed cauete exempla eorum. Heu proh dolor, ſoror chariſſima, fuge primorum hominum exempla, horreſce ſerpentis antiquiſſimi ſibila; ne incipiat tibi germinare ſpinas & tribulos vitiata terra; & quæ pro inſigni virginitatis lilia, roſaſque parturire debet, vrticas & paleas producat. iſta, quæ vrit, illa quæ lacerat. Vos eſtis enim prima delibatio corporis Eccleſiæ. Vos itaque ex tota Chriſti corporis maſſa oblationes Deo acceptæ, & in ſupernis altaribus conſecratæ. Pro veſtro enim propoſito, & pro fide ſua, omnis Eccleſia nomen virginitatis indepta eſt, dum in ea melior pars eſt propenſior. Vos eſtis quæ animi, & corporis veſtri integritatem Chriſto dediſtis. Et licet in omnibus ſuis generaliter membris fide maneat virgo: tamen ſuorum parte membrorum, quod eſtis vos, non incongruè virgo etiam corpore genere illius locutionis, quo aut totum à parte, aut pars nominatur à toto. Meditare vt columba, chariſſima virgo, & mente pertracta, quæ in futuro tibi maneat gloria, quæ non acquieuiſti carni & ſanguini, neque corpus, illud ſanctiſſimum proſtraſti corruptioni. Age ergo, cogitare præſume, intellige, quibus te amplexibus cupiat Chriſtus, quæ mundi calcaſti illecebras; quo te deſiderio chorus ille expectet Virgineus, quem ipſius gradibus properantem cælorum ardua vident, quibus chorus ipſe virginalis peruenit ad Chriſtum. Gaudet & Maria mater Domini apex & ſpecimen virginitatis, incorruptionis mater, quæ vos exemplo ſuo genuit, & manet integra. Vos documento peperit, & dolores neſciuit. Genuit ſponſum & virgo eſt. Felix ille venter, qui nouit generare, non corrumpi. Beata illa fœcunditas, quæ pariendo impleuit mundum, hæreditauit cœlos, nec amiſit velamina virginitatis. Ardeat cor tuum, ſoror, igne illo quem Chriſtus miſit in terram. Excitet te flamma ignis huius; & chorus ille virgineus proſequens Mariam ipſam. Ergo oculo mentis ſuſpice, ipſos

B. Maria Deipara exemplum virginitatis.

Digitized by Google

ipſos comitare choros, ipſis te animi deſiderio iunge; ibi feſtina; ibi propera; ibi repoſita eſt corona iuſtitiæ, quam reddet tibi Dominus iuſtus Iudex in illa die. Senti fratris animum tuos deſiderare profectus. ſenti fratris concupiſcentiam velle te eſſe cum Chriſto. qui & ſi in me non habeo, quod in te proficere volo, perdidiſſe me doleam, quod te tenere deſidero. Erit interim mihi quædam portio remiſſionis, ſi tu, quæ pars es mei corporis, in via peccatorum non ſteteris; ſi quod tenes, firmiſſimè teneas. Heu mihi, ſi alius accipiat coronam tuam. Tu apud Chriſtum tutamen meum: tu chariſſima, meum pignus, tu hoſtia mea ſacratiſſima, qua expiari à colluuione peccati non dubito. Si tu accepta es Deo; ſi tu caſto cubili cum Chriſto cubaueris; ſi tu Chriſti amplexibus fragrantiſſimo virginitatis odore inhæſeris, profecto peccatoris memor fratris obtinebis pro reatu germani Indulgentiam, quam popoſceris. Non te contriſtabit qui te ſuæ copulauit ſocietati. Siniſtra eius, in qua eſt honor & gloria ſub capite tuo, & dextera eius, in qua eſt longitudo vitæ, amplexabitur. tu talibus ſponſi oblectata amplexibus, meam veniam poſtulatis obtinebis. Amor tuus in Chriſto erit indulgentia mea; & quantulancumque ſpem remiſsionis habeo, ſi, ſoror, quam diligo ad nuptias Chriſti tranſierit: atque in illo terribili metuendoque iudicio reſpiramentum aderit, vbi de facti actibus vel de commiſsis diſcuſsio fuerit; vbi de meis ſtipendijs, heu mihi, ſum cogendus reddere rationem. Tu ſolatium meum, tu reſpiramentum meum; & vindicta, quæ mihi debetur pro negligentia mea, forte caſtitatis tuæ ſedabitur interceſſione. Defendes me profectu tuo, à mei reatu corporis, ſi tu Chriſto adhæſeris. Et, ſi tu illi placueris, ego vnde ei diſpliceo non grauabor, dum tibi indulget, mihi parcet. nec perire fratrem ſinet cuius ſpondet Sororem. Per te forte mihi donabitur chirographum quod contraxi; dum te Chriſtus fouet charitate, me non punit pro crimine. Miſerere ſoror non tantum tui, ſed & mihi, vt, vnde tibi reſtat gloria, ſaltim mihi vel venia concedatur. Multæ in tuo erunt virgines comitatu, cum his facile impetrabis, pro me quod popoſceris, immo ipſa mater & dux virginum Maria ſuum interpellabit pro tuo merito filium; & ne te contriſtet pro me orantem, me eriget forte iacentem; & conſcientiæ reatu merentem conſolabitur. Non confundatur ſpes mea per te ad Deum. Meo igitur oramento, meo miniſterio, Dei quidem dono, ſed meo obſequio, hanc tenes profeſsionem. Sit ergo mihi integritas tua cauſa veniæ, quæ tibi erit cauſa coronę.

2. ad Tim. 4

Virginis a-tis meritū etiam pro alienis peccatis expiandis.

B. Maria dux virginum, & apud filium aduocata.

Seueriani Coniugem & Matrem tot Sanctorum, meminit Filius S. Leander renunciaſſe ſæculo; forti animo: patriam, quam repetierat, deſeruiſſe, & adhæſiſſe filiæ Florentinæ. Nomen ei Turtur vel Turtura, quod neſcio, cur neget Sandoualius, eſſe Romanum.

THEODOSIA HORVM SANCTORVM hominum ſoror. C.

Leuuigildus Rex ex Theodoſia par Regum ſuſcipit. Carthago hac Hiſpaniæ dicta Spartaria. Toletana Prouincia. S Hermenegildus. Ad Cantiaa Epiſt. dedicator.

MARIANA lib. v. de rebus Hiſpaniæ, Cap. XI. Athanagildi ſucceſſor Liuua. Is anno regni ſecundo DLVIII. Gothica Galliæ ditione contentus, ad Leuuigildum fratrem Hiſpanici regni conſortium tranſmiſit; geminamque hic prolem ex Theodoſia ſuſtulit, quæ fuit Seueriani Carthaginenſis Prouinciæ Ducis ac Præfecti filia; Leandri, Fulgentij, Iſidori Florentinæque ſoror. Leuuigildi filij Ermenegildus, & Reccaredus: Ille Martyrij præclarus & Confeſſionis Catholicæ; vt merito præconium ex hoc Nepote quæſierit Sereniſſimo Ferdinando Auſtriæ Archiduci Antonius DELRIO, ob exſtirpatam hæreſin, & vindicatam Catholicam religionem.

S. LEANDER. D.

S. Leandri elogium.

MARIANA lib v. cap. XII. ſub an. DLXXIX. Leander Conſtantinopolim ad Tiberium Aug. nauigauit. ex Monacho Benedictino Hiſpalenſis Epiſcopus, ſingulari eruditione, morum probitate eximia; neque minori orationis ſuauitate, & elegantia. Res eo tempore comparanda miraculo. Pro qua re iuerat, parum profeciſſe arbitror. Synodo tamen Epiſcoporum interfuit, & cum Gregorio, cui poſtmodum Magni cognomen acceſſit, & Legati partes pro Pelagio ſecundo implebat, vſum habuit. Ex vitæ & ſtudiorum ſimilitudine voluntates conciliatas, indicio ſunt Libri Moralium à Gregorio Leandri hortatu, eiuſque nomine in publicum dati. De S. Leandro apud ipſum, & alios plura inuenias. Noſter etiam Maldonata, eius vitæ breuiarium edidit, quæ extat apud Haræum.

VIRGINIS DEIPARENTIS IMAGO Guadalupea: E.

MARIANA lib. VI. cap. I. ſub an. DXCI. vbi de Gregorij Magni Reſcriptis ac Epiſtolis ad S. Leandrum datis diſertè meminit. *Fama, inquit, ſine vllo certo auctore, vulgo iactatur inter Hiſpanos Regis (Reccaredi) Legatos Virginis matris ſculptilem ex ligno imaginem ad Leandrum attuliſſe, eiuſdem Gregorii do-*

num.

num Eſſeque illam, quæ longo poſt tempore in ſpecu quodam reperta, vna cum Fulgentii Aſtigitani corpore præcipua totius Hiſpaniæ religione colitur ad Guadalupeum oppidum templo dicato.

num B Leandro miſſum.

BIBLIOTHECÆ HISP. CAP. V. EX Joanne Marietta.

GVALDALVPENSE Monaſterium B. Virginis ad aquas Lupias imaginem eam eſſe accolæ tradunt, quam, & S. Lucas pinxerit, & quæ Gregorii Papæ temporibus, graſſante Romæ peſtilenti lue, dum geſtaretur accinuiſſe angeli feruntur hymnum illum, Regina cœli.

Templum Alfonſus II. exædificauit. Ioannes vero I. Hieronymianis ſodalibus templum, & imaginem credidit.

S. Luca picta, at Guadalupea ex ligno ſculpta.

De Imagine ſententia diuerſa Hieronymiani.

FVLGENTIVS. F.

DE Fulgentio Ioannes Mariana lib. VI. cap. I. Fulgentii & Florentinæ ſororis corpora ad Bartoeanum pagum, non procul Quadalupeo oppido, vbi ſimul reperta ſunt, conſeruantur.

SS Fulgentij & Florentinæ tumuli.

Lib. v. cap XIII. Leuuigildus Arrianus, oppreſſo filio Ermenigildo Martyre, delendæ Catholicæ Religionis cauſſa, viros quoſque ſanctiſſimos exiliis multauit. Leandrum Hiſpalenſem Præſulem; Fulgentium Aſtigitanum, quibus imprimis iratus erat, quia partibus Hermenigildi id eſt Catholicorum ſtuduerant.

PLVRES SIMVL EPISCOPATVS ſuſtinere. G.

EVENISSE ibidem affirmat Mariana, vt vice verſa vnius Eccleſiæ plures eſſent Epiſcopi: nam orbatis per exilia Cathedris, tranquillitate Eccleſiæ reddita, factum credi, vt contra quam Eccleſiaſticis legibus cauetur, duo aliquando eſſent eiuſdem vrbis Epiſcopi, vti publica eius ætatis acta teſtantur, quia exules reſtituti ſcilicet ſuperuenirent ſibi ſubſtitutis. Itaque pacis ſtudio, nouum exemplum inductum.

Vnius Eccleſiæ plures Epiſcop.

ISIDORVS. H.

PRæclarum vitæ mortiſque eius Elogium apud Marianam legitur lib. VI. cap. VII. quem conſulas licet; vt & libros ab eo magna doctrinæ laude ſcriptos.

S. FLORENTINA. I.

XX. Iunii Martyrol. Rom. *Hiſpali S. Florentiæ Virg. SS. Leandri & Iſidori.* Mariana lib. VI. cap. I.

Aſtigi Parthenon S. Florentinæ Aſtigi Florentinam vitam exegiſſe tradunt, quadraginta Virginum Collegijs præfectam, vbi & domus, in qua vixit, monſtratur; & præcipui Virginum Collegij veſtigia, ad Singilis hoc eſt Xenilis fluminis ripam; quo loco D. Hieronymi nomine Monaſteriũ extat.

MONACHI IN HISPANIA. K.

MARIANA lib. IV. C. XX. ad an. CCCXCIV. Pontius Paulinus Burdigalenſis patria, in Hiſpania citeriore moram traxit, ipſe & vxor Pheraſia Barcinone Presbyter factus eſt, nullius Eccleſiæ miniſterio addictus, nouo exemplo ac propemodum ſingulari. Inde gradus factus ad Nolanum Epiſcopatum, cum ex Hiſpania in Italiam migraſſet. *S. Paulini Nolani rudimenta monaſtica*

Sed illuſtrius Paulini nomen, quam cui lucem hic maiorem dare poſſimus. Vide tamen Auſonij Poëma, & ipſius ad Auſonium de ſeceſſu Hiſpanico; & S. Ambroſij Epiſtolam ad Sabinum, de eius migratione è Senatu ad Eremum. Denique legatur S. Paulini Epiſtola ad Seuerum, qua ætatis ſuæ Monachorum rigidum cultum, victumq; contra Marracinum quendam, graphicè depingit.

DE ANTIQVITATE MONACHOrum in Hiſpania. L.

MARIANA lib. V. C. XI. ad an. DLXXII. Gregorio Turonenſi æqualis Donatus Monachus, adiunctis ſeptuaginta ſocijs, ex Africa venit in Hiſpaniam; & opibus Minicex præpotentis fœminæ & copioſæ, Seruitano Monaſterio exſtructo, Serabi, vt pleriſque placet monaſticam viuendi rationem certis nimirum legibus inſtitutiſq; temperatam inuexit primus in Hiſpaniam, vt Illefonſus ſcribit. Monachi. n. quorum in actis Conciliorum Hiſpaniæ ante hæc tempora mentio extat, aut nulla votorum religione conſtricti erant, aut diſſipati per ſiluas vitam exigebant ſolitariam. Porro de Donato Ioannis Biclarienſis Chronicon. *Donatus monaſtica in Hiſpan. propagator. Seruitanũ Monaſterium. Monachi vetuſtiores.*

Donatus Abbas Monaſterij Seruitani mirabilium operator clarus habetur an. V. Iuſtini. Ad an. II. Mauritij Imp. Eutropius, Abbas Monaſterii Seruitani diſcipulus S. Donati clarus habetur: qui & an. IV. Recaredi, cum S. Leandro præfuit Synodo Toletanæ. *Eutropius Abbas Seruitanus.*

Ceterum Monaſticæ in Hiſpania propagator inſignis Martinus Dumenſis * Monaſterij ſanctiſſimus Epiſcopus, & in Galætta Sueuorum columen, & Apoſtolus; de quo S. Iſidorus. *Monaſteria condidit copioſaque præcepta piæ inſtitutionis compoſuit.* Sed de illo lib. V. poematum magnificè Venantius Fortunatus; & nos ibidem in notis eius, Præconio quoque S. viri indulſimus. **Dumienſ. B. Martinus Dumienſis.*

Ad

AD LIBRVM S. LEANDRI DE VIRGINITATE.

ISIDORVS in vitis illuſtr. Epiſc. In Leandro cap. XXVIII. *Præterea edidit vnum ad Florentinam ſororem, de Inſtitutione Virginum, & contemptu mundi libellum, diſtinctionibus prænotatum.*

Paulo aliter in edita Hiſpaniæ Bibliothecæ, inter ineditos libros S. Leandri, enumerantur tanquam diſtincti Tractatus,

De contemptu mundi ad Florentiam ſororem.

De Virginum inſtitutione.

S. Braulio Cæſaraugustanus Epiſcopus item in vita S. Iſidori citatur ad XX. Iun. in Martyrol. Romano, ceu Iſidorus ipſe duos libros de Virginitate ad Florentinam ſororem ſcripſiſſet. At verò Braulionis inſpecto diligentius Catalogo, deprehenditur id modo, Iſidorum, quod & alij meminerunt, ſcripſiſſe contra Iudæos, poſtulante Florentina germana ſua, propoſito Virgine, libros duos. Conſule Hiſpaniæ illuſtratæ Tomum II.

Notatio. Baronij Erratum μνημονικὸν de Iſidoro ſeu ſcriptore lib. de Virgin.

Andreas noſter Scottus de litteris, & omni antiquitate bene meritus, in Notis ſuis ad Roderici Toletani hiſtoriam, vbi libelli huius à S. Leandro conſcripti mentio fit, ait, exemplar eius ſe vidiſſe in Bibliotheca Toletana, & in Concil. Tolet. Ambroſij Moralis lib. XII. c. III.

Ceterum libellus hic bipartitus, duplici velut argumento ſe diffundit; prima namque parte in mundi contemptum, & Virginitatis laudem præclarè excurrit; altera, quæ diſtinctione prænotatus, Virginem per morum, atque aſceticæ diſciplinæ præcepta accuratè inſtituit; quæ quia plano, & Tractatoribus Eccleſiaſticis vſitato orationis genere explicantur, commentario, vel ſcholijs inſtrui, habeas pro ſuperuacaneo. Vnica, fateor, vox Eptatichus aduertit animum, ne præterijſſe viderer diu quæſita; ac, neſcio, an ex S. Auguſtini ſententia conſtitui eius notio poſſit. Libros ſuos locutionum retractans, eos ſeptem ſe feciſſe meminit, de SEPTEM LIBRIS diuinarum ſcripturarum, id eſt, Moiſi quinque, & vno

Libelli partitio.

IESV

Digitized by Google

IESV naue, & altero Iudicum notatis locutionibus ſingulorum, quę minus vſitatæ linguæ latinæ. Atque hunc librorum ſyllabum S. Leandrum ex vſu ſui temporis exiſtimem appellaſſe ἑπτάπτυχον, ea forma qua veteres dixere Δίπτυχον. Apollinaris Sidonius, lib. v. Epiſt. xv. ad Ruricium Heptateuchi librum celebrat à ſe relectum, & retractatum. In quem locum Iacobus Sirmondus Soc. IESV interpres, Pentateuchum, cum Triteuchus, id eſt, libri Ioſue, Iudices, & Ruth ſuperaddebantur, fuiſſe dictum Octateuchum, vt Athanas, ad Marcellin. Et Caſſiodorus c. 1. Diuin. Inſtit. & Græci, ſcribentes εἰς τὴν ὀκτάτευχον. Sed, quia Hebræi librum Ruth in Iudicum librum transfudere; inde factum, vt Heptateuchum plerique pro octateucho, vſurparint. Hieron. Epiſt. VII. & XXVII. Et Sidon. ante citatus. Idem longè ante à doctiſſimis viris, quibus Gregorius XIII. Iuris Canonici corrigendi prouinciam mandauit, annotatum obſeruo. Diſtinct. xv. ad cap. ſancta Romana; vbi pro Pentateucho ex Iuone legendum monent, Heptateuchum; vt vltra quinque libros comprehendat librum Ioſue & Iudicum; qua voce ac librorum coniunctione vſus ſit D. Hieronymus ad Lucinium ſcribens. Alios *Heptatycum appellare, vt S. Gregorius, lib. VII. Ind. 11. Epiſtola XLVIII. & lib. x. Epiſt. XXII. & alibi; & Rabanus præfatione in Hieremiam, & ordo Romanus cap. de Septuageſima.

* Heptaticus.

REGV-

REGVLA S. LEANDRI AD FLORENTINAM

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

INCIPIT LIBER B. LEANDRI HISPALENSIS ECCLESIÆ EPISCOPI EDITVS AD FLORENTINAM SOROREM SVAM DE INſtitutione Virginum.

PERQVIRENTI mihi Soror chariſſima, Florentina, quibus te diuitiarum cumulis hæredem facerem, qua te patrimonij ſorte ditarem; multæ rerum fallacium occurrebant imagines; quas cum ego, vt importunas muſcas manu mentis abigerem, tacitus aiebam: Aurum & argentum de terra eſt, & in terram reuertitur; fundus & patrimoniorum redditus, vilia & tranſitoria ſunt præterit enim figura huius mundi Quidquid enim ſub ſole conſpexi, nihil te dignum, ſoror arbitratus ſum; nihil muneri tuo credidi eſſe gratiſſimum. Omnia mutabunda, caduca, & vana fore conſpexi. Vnde veram eſſe attendi Salomonis ſententiam dicentis: * Magnificaui opera mea; ædificaui mihi domos; & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conſeui ea cunctis generibus arborum; & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam germinantium lignorum: poſſedi ſeruos & ancillas, multamque familiam habui; armenta quoque & agnos, ouium greges, & caprarum, vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem. Coaceruaui mihi argentum & aurum; & ſubſtantias regum ac prouinciarum; feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum; ſcyphos, & vrceos in miniſterio ad vina fundenda. Et ſupergreſſus ſum operibus omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem. Quam omnem mortalium pompam, tali termino concluſit, vt diceret. Cumque me conuertiſſem ad vniuerſa opera,

1 Cor 7
Vanitas vanitatum dixit Eccleſiaſtes & omnia vanitas.
* Id eſt magnifica opera extruxi.
Eccl 2

quæ fecerant manus meæ, & labores, in quibus fruſtra ſudaueram; vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi; & nihil permanere ſub Sole. Et iterum ipſe dicit. Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub Sole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, vtrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui & ſolicitus fui, & eſt quicquam tam vanum? Vnde ceſſaui, renunciauique cor meum vltra laborare ſub ſole. Tali quoque informatus oraculo, non eſſe me parentem verum exiſtimarem, ſoror, ſi te his ditarem rebus, quæ ſtabilitate nulla conſiſterent; quæ mundanis ſubtractæ caſibus te deſtituerent, nudamque relinquerent; ærumnis quoque te cumularem & timore metuque ſubijcerem, ſi ea, quæ fur auferre poterat, ſulcare tinea, ærugo vorare, ignis abſumere, terra obruere, aqua delere, ſol torrere, Imber fœdare, glacies ſtringere; tuæ germanitati conferenda eſſe putarem. His certè rebus humanis implicatus animus, à Deo auertitur; & ab illa immobili, ac permanentis veritatis forma recedit. Nec poteſt ad ſe admittere diuini verbi dulcedinem, aut Spiritus ſancti ſuauitatem, pectus, quod tot mundanis agitatur moleſtijs, tot curarum temporalium ſtimulis verberatur. Si ego te his nexibus alligarem, talibus onerarem ponderibus, mole terrenæ cogitationis opprimerem, inimicum me, non parentem, deberes extimare, interemptorem, non fratrẽ eſſe ſentires. Eia, ſoror chariſſima, quoniã quicquid axe cœli concluditur, terrena ſuſtinet fundamenta, & telluris ſuper faciem voluitur; nihil dignum, quo ditari poſſis inuenimus, ſupra cœlos quęrendum eſt. Vnde munus virginitatis auxiſti; vt tibi pręmium & patrimonium virginitatis inuenias. Ex compenſatione integritatis meritum agnoſcitur, & de ſua retributione penſatur; quanto enim vilis putaretur, ſi tranſitorijs, terreniſque ditaretur muneribus, tanto præclara eſt virginitas excellenſque, calcatis abdicatiſque mundanis voluptatibus, dum in terris Angelorum ſeruat integritatem. Dominum Angelorum ſortita eſt portionem. quæ ergo eſt virginitatis hæreditas? nonne ea, quam dicit Pſalmiſta? Dominus pars hæreditatis meæ: & iterum, Portio mea Dominus. Vide ſoror quantum profeceris; vide quam ſummum teneas apicem, vt multorum gratiam beneficiorum in * vnum eundemque inueneris Chriſtum. Sponſus eſt, frater eſt, amicus eſt, hæreditas eſt, pretium eſt, Deus & Dominus eſt. Habes in eo ſponſum, quem diligas, ſpecioſus eſt enim forma præ filijs hominum. Eſt * enim verus frater quem teneas, adoptione enim es tu eius filia, cuius filius eſt ille natura. Eſt amicus, de quo non dubites; ipſe e-

Hoc eſt quod ait Dominus: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.

Virginitatis quam nobilis poſſeſſio.

** vno eodemque Chriſto*

Chriſtus ſponſus portio virginis.

** verum.*

ipſe enim dicit. Vna eſt amica mea. Habes in eo hæreditatem, quam ambias: pars enim hæreditatis tuæ ipſe eſt. Habes in eo pretium, quod agnoſcas; quia ſanguis eius redemptio tua eſt. Habes in eo Deum à quo regaris, Dominum, quem metuas & honores. Totam ſibi in Chriſto prærogatiuam virginitas vindicat: vt, ante quem tremunt Angeli, cui ſeruiunt poteſtates: cui virtutes obtemperant; cui cæleſtia & terreſtria genuflectant, hunc ſibi virgo ſponſum vindicet: ad huius thalamum ornata virtutibus properet: hunc cubili cordis, caſto cubili confoueat. & quid amplius ei conferre potuit, cui ſe Chriſtus ſponſum tribuit & ſanguinem ſuum dotis, ac muneris titulo compenſauit? Solent ergo qui vxores ducunt, dotes tribuere, conferre præmia, & ad vicem perdendi pudoris, ſua tradere patrimonia, vt emiſſe potius quam duxiſſe videantur vxores: tuus, virgo, ſponſus dotem tibi ſanguinem ſuum dedit; eo te redemit, eo te ſuæ copulæ ſociauit, vt pudorem non perdas, & habeas pręmia quanto enim eſt munificentius dotis pręmium; tanto eſt amor immenſior: multum enim diligit quam proprio ſibi ſanguine deſponſauit. & ob hoc ſuum corpus vulneris ictu, & telo gladij maluit aperiri, vt tuam ſibi integritatem emeret, pudicitiam conſecraret. E contrario enim curauit hominem. vt ſicut honor eius, vita eſt noſtra; eiusque humilitas, noſtræ eſt ſuperbiæ medicina, ſic & vulneribus ipſius noſtra integritas empta eſt, qui ideò feriri ſe vulnere voluit, ne malleo vniuerſæ terræ nos feriri ſineret Precio enim empti eſtis, ait Apoſtolus, nolite fieri ſerui hominum. Cur Virgo dare vis corpus viro; quod iam eſt redemptũ à Chriſto? alius te redemit, & alij nubere cupis? alterius precio * libertatis militas, & ſpontanea te ſeruitute condemnas? Si mundus omnis titulo dotis ſcribitur, quid precioſius ſanguine Chriſti, quo redemptus eſt mundus? Appende mercedem & precium, vt videas plus valere qui redemit, quam id, quod redemit. Quanto itaque prauè intelligit virgo, quæ contempto emptore, mercem ſequitur: & ſanguine Chriſti poſtpoſito, mundum qui redemptus eſt amplexatur? Non ſum idoneus eloqui, ſoror amantiſſima, præmia virginitatis. Eſt enim ineffabile donum, abſconſum oculis, celatum auribus, intelligentiæ obſeratum. Quod omnes eſſe ſperant ſancti, & poſt reſurrectionem cuncta præſtolatur eccleſia fieri; vos iam eſtis. Corruptibile hoc, ait Apoſtolus, induet incorruptionem: ſed, reuera, poſt reſurrectionem corporis. Ecce vos incorruptionis gloriam iam ſcitis, vos iam in præſenti ſæculo partẽ gloriæ poſſidetis. Quanta eſt enim beatitudo, quæ nobis reponitur in futurũ? quæ nobis corona manet in æternũ? quę incorruptio-

Dos Virginis Chriſti ſanguis.

1. Cor. 7.

** liberatæ.*

Virginitatis præmia

1 Cor. 15.

Digitized by Google

ipſos comitare choros, ipſis te animi deſiderio iunge; ibi feſtina; ibi propera; ibi repoſita eſt corona iuſtitiæ, quam reddet tibi Dominus iuſtus Iudex in illa die. Senti fratris animum tuos deſiderare profectus. ſenti fratris concupiſcentiam velle te eſſe cum Chriſto. qui & ſi in me non habeo, quod in te proficere volo, perdidiſſe me doleam, quod te tenere deſidero. Erit interim mihi quædam portio remiſſionis, ſi tu, quæ pars es mei corporis, in via peccatorum non ſteteris; ſi quod tenes, firmiſſimè teneas. Heu mihi, ſi alius accipiat coronam tuam. Tu apud Chriſtum tutamen meum: tu chariſſima, meum pignus, tu hoſtia mea ſacratiſſima, qua expiari à colluuione peccati non dubito. Si tu accepta es Deo; ſi tu caſto cubili cum Chriſto cubaueris; ſi tu Chriſti amplexibus fragrantiſſimo virginitatis odore inhæſeris, profectò peccatoris memor fratris obtinebis pro reatu germani Indulgentiam, quam popoſceris. Non te contriſtabit qui te ſuæ copulauit ſocietati. Siniſtra eius, in qua eſt honor & gloria ſub capite tuo, & dextera eius, in qua eſt longitudo vitæ, amplexabitur. tu talibus ſponſi oblectata amplexibus, meam veniam poſtulatis obtinebis. Amor tuus in Chriſto erit indulgentia mea; & quantulancumque ſpem remiſsionis habeo, ſi, ſoror, quam diligo ad nuptias Chriſti tranſierit: atque in illo terribili metuendoque iudicio reſpiramentum aderit, vbi de facti actibus vel de commiſsis diſcuſsio fuerit; vbi de meis ſtipendijs, heu mihi, ſum cogendus reddere rationem. Tu ſolatium meum, tu reſpiramentum meum; & vindicta, quæ mihi debetur pro negligentia mea, forte caſtitatis tuæ ſedabitur interceſſione. Defendes me profectu tuo, à mei reatu corporis, ſi tu Chriſto adhæſeris. Et, ſi tu illi placueris, ego vnde ei diſpliceo non grauabor, dum tibi indulget, mihi parcet. nec perire fratrem ſinet cuius ſpondet Sororem. Per te forte mihi donabitur chirographum quod contraxi; dum te Chriſtus fouet charitate, me non punit pro crimine. Miſerere ſoror non tantum tui, ſed & mihi, vt, vnde tibi reſtat gloria, ſaltim mihi vel venia concedatur. Multæ in tuo erunt virgines comitatu, cum his facile impetrabis, pro me quod popoſceris, immo ipſa mater & dux virginum Maria ſuum interpellabit pro tuo merito filium; & ne te contriſtet pro me orantem, me eriget forte iacentem; & conſcientiæ reatu merentem conſolabitur. Non confundatur ſpes mea per te ad Deum. Meo igitur oramento, meo miniſterio, Dei quidem dono, ſed meo obſequio, hanc tenes profeſsionem. Sit ergo mihi integritas tua cauſa veniæ, quæ tibi erit cauſa coronę.

2. ad Tim. 4.

Virginis atu meritũ etiam pro alienis peccatis expiandis.

B. Maria dux virginum, & apud filium aduocata.

Auerte quæſo oculos à mundi falſis inanibus. Cœlos aſpice vbi eſt ſponſus tuus. illuc animum dirige, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Omne enim quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum eſt. quæ ſurſum ſunt quære. Vbi eſt vita tua, illic ſint deſideria tua; vbi eſt ſponſus tuus, ibi ſit & theſaurus tuus. Nolo te moueri voluptate ſæculi, nolo te fulgore carnis decorari. Cito mouet alienam libidinem, caro ornata; & aſpectus iuuenum in ſe prouocat, quæ ſe componit vt ornata procedat. Placere velle oculis alienis, affectus eſt meretricis, & ad ſponſi cœleſtis refertur iniuriam, ſi ita incedat vt oculis libidinoſis placeat. Eſto quæſo iudex inter nubentes & virgines. Spem vtriuſque conſidera. quis, quam teneat vitam extimat? Virgo ſtudet placere Deo; nupta ſæculo. Virgo ſeruat integritatem qua nata eſt; nupta corrumpitur; & quale eſt ibi, non permanet integra vt cæpit eſſe natura. Primum diuino operi irrogatur iniuria, dum quod ille formauit integrum, libidine corrumpitur, libidine maculatur. In vos Deus cognoſcit opus ſuum quas tenet ſæculum, & non corrumpit, quas Deus tales recipit, quales fecit. Omnia itaque reſtauranda ſunt in reſurrectione, quæ nunc pereunt de corpore. Virginitas ſemel perdita, nec hic reparatur, nec in futuro recipitur. Verum eſt, quod præceperit Deus nuptias, ſed iccirco, vt eſſet vnde naſceretur virginitas; vt multiplicata virginum ſucceſſione, lucraretur in prole, quod perdiderant nuptiæ: & radices & fructus nuptiarum, virginitas eſt. de coniugio certè naſcitur virgo; quæ, ſi non corrumpitur, ad nuptiarum additur præmium. Habent nuptiæ vnde lætentur, ſi ſui fructus cœleſti horreo reponantur. Tu quoque communium parentum cumulabis merita; tuis, vterque parens honoribus munerabuntur, te prole Chriſto adhærenti ipſi recipient in fructu quod in ceſpite perdiderunt. Recole, mi Soror, humanas nuptiarum ærumnas; & claude oculos, ne videas vanitatem. Prima pericula nuptiarum hæc ſunt; corruptio, faſtidia, corruptionis pondus. vteri grauidati, dolor partus, plerumque ad diſcrimen mortis perueniens: vbi & munus nuptiarum perit & fructus, dum ſimul mater cum prole deficit, & omnis illa pompa nuptialis, mortis fruſtratur termino. Quam putabant cauſam eſſe lætitiæ, quæ eam occaſionem interiendi inuenit? Quid aget poſt mortem, quæ totam lætitiam nuptiis deputauit? Quæ viro placere voluit, non Deo, quid aget dum exit à ſæculo? Quæ ſolicita fuit quomodo placeret mundo, quam poterit habere partem cum Chriſto? Quæ primum, ſi bene videas, viris ſe

Nuptiarũ ærumnæ.

diſtra-

diſtrahunt, ſimulque cum pudicitia libertatem perdunt, quando captiuam virginitatem ſuſcepta dote addicunt, quid miſeræ illi remanet, quæ pudorem venditat? Quod ſi forte mundi (vt fieri ſolet) caſu, perdat donationem, tunc & pudore caruit, & amiſit prælium. Vides, quum nuda & deſtituta in vtroque remanſit? pro viro certè, gemino timoris addicta periculo. Timet bonum perdere; timet malum habere. Quis ergo inter hæc medius eſt locus lætitiæ? Quas formas lenocinij meditatur, vt placeat oculis? quibus peregrinis odoribus inficit veſtem? & vt oblectet ſenſus, cutem mentitur alienam, quæ fuco illitam vineo * adulterat figmento faciem: ne ſit ipſa quæ nata eſt, & decipiat virum ſpecie aliena, non propria. Vide, ſi non maleficii genus eſt, excogitare artem qua prouocet libidinem alienam. Et, quæ ſic corrumpit faciem, quam putas habet corruptam mentem? Triplex commiſit adulterium; mentis, quæ talem meditata eſt fraudem. Corporis, quæ figmento mutauit ſpeciem. Veſtitus, quæ non proprio, ſed alieno flagrat odore. His malis virgo neſcia, ſexum habet, & ſexus neceſſitatem ignorat. fœmineæ fragilitatis oblita, rigore virili ſubſiſtit, atque infirmum ſexum virtute ſolidauit. nec addixit ſeruituti corpus, quod lege naturæ viro ſubiacet. Fœlix virgo, quæ corpus trahit ex Eua, non pœnam. Illa peccati merito audit. Sub viri poteſtate eris; & in doloribus paries. Tu virginitate exempta à tali iugo excuſſiſti ceruicem; nec preſſa iugali neceſſitate curuaberis ad terram; ſed in ſublimi erepta cœlos ſuſpicis; vt vnde illa vetitum præſumendo cecidit, ibi tu licita contemnendo, conſcenderes. Eua guſtauit de illicito, & virginitatem perdidit. Licebat nubere virgini, ſed quæ non nupſit Angelis adhæſit. In reſurrectione enim non nubunt, nec vxores ducunt, ſed erunt ſicut Angeli Dei. Vide; virgo, quæ non nubit Angelis comparatur. Licet enim gignere filios; ſed quæ hanc ſpreuerunt neceſſitatem, Chriſtum dicentem audiunt. Beatæ ſteriles, & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. E contrario illic dicitur nuptis. Væ prægnantibus & nutrientibus in illa die. Itaque virginei ſenſus pro filijs reputantur. Quid ergo quærit quos pariendo doleat? quæ pios habet ſenſus, quibus meditando congaudeat: propter timorem tuum Domine, inquit, in vtero accepimus & parturiuimus ſpiritum ſalutis. Ecce fœlix conceptio, incorrupta progenies. Vtilis partus, vbi & proles bonæ cogitationis editur, & ignoratur dolor. Tot fœlicia germina, quot ſanctæ cogitationes. Toties concipit, quoties

Lenocinia, & fucatus mulierum ornatus reprehenſus.

Geneſ. 3.

Luc. 23.

Virginitatis partus pia cogitationes ac ſenſus.

Iſa. 26.

tiens ſancta meditatione diuinum Spiritum capit. Conceptio enim ſuperna virtutes parit. Et, ne putes te eſſe ſterilem; tot filio habebis, quot virtutes protuleris. Vna ſancti Spiritus conceptione, multos edes partus. Primus partus virginis verecundiæ virtus; ſecundus, Patientiæ: tertius Sobrietatis; quartus Temperantiæ; quintus Charitatis; ſextus Humilitatis, ſeptimus Caſtitatis: vt impleatur quod legitur. quia ſterilis peperit ſeptem. Ecce vna ſeptiformis Spiritus conceptione, ſeptem
Iſai. 56. partus edidiſti. Non dicas. Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus eunuchis. qui cuſtodierint requiem meam, & elegerint, quæ volui & tenuerint fœdus meum, dabo eis quod non peribit. Vides, amantiſſima ſoror, quod principalem in regno DEI virgines teneant locum? & non immerito. Mundi enim contempſerunt habitum, ideo peruenerunt ad cæleſte regnum: vitæ cæleſtis beatitudinem hic incipiunt, quæ generare in doloribus filios neſcierunt, &, quæ contagia libidinis, & fœda coniugum figmenta reſpuunt, rectè CHRISTI nuptias impetrarunt. Nolo mouearis pompaticis nuptiarum inceſſibus; clientumque ſtipata comitatu. hos incurrunt plerumque inſidiatores pudicitiæ, quos cuſtodes caſtitatis putabant. Et, cum ſe ambiri tot virorum formis viderint, hoc in mentem venit quod cum viris in lectulis agunt proprijs, & quod expertæ ſunt in ſingulis, hoc in plurimis meditantur. Non verebor inuidiam, ſi locutus fuero veritatem: feriant me liuore, quas momorderit conſcientia, dum modo proficientibus loquar quid cauere debeant
Schema compta nec caſta fœmina. in eis, quæ ſolo nitent opere carnis. Certum eſt, mi ſoror, quæ nitorem veſtium compoſuerit, odore peregrino flagrauerit, fuco mactauerit oculos, faciem candore alieno obduxerit, brachia circulis inſtruxerit aureis, digitis annulos inſeruerit, & digitorum gemmarum ſidereo radiauerit fulgore manibus, aures metallo adgrauauerit, colla margaritis & vario gemmarum abſconderit tegmine. caput ponderauerit auro. Certum, inquam, eſt hanc non eſſe caſtam, quæ ad hoc ſe ita compoſuit, vt multorum feriat oculos, multorum animas moueat, illiciatque mentes. Quæ, & ſi metu viri non gerat ſtuprum in aperto, fornicatur tamen interius animo? Illa verò caſta eſt, quæ ſimplici habitu, moribuſque bonis placet viro; & de bono caſtimoniæ, Deo. Harum habitum exprimit Petrus Apoſtolus, & cultum veſtium, vel æquitatem morum, ſua pingit præceptione, cum dicit; Sit in muliere non exterior ornamenti aut auri, aut
1. Ti. 2. 1. Pet. 3. veſtis cultus, ſed cultus cordis. Eadem ergo & Paulus Apoſtolus in

lus intulit dicens. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate; ornantes ſe non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte precioſa; ſed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Quas diſſonare ab his præceptionibus, & diſcrepare compereris, velut gehennæ duces, & inferni comites fuge. hoc enim ſuadebunt, quo plenæ ſunt: quæ, & ſi non verbo, ipſo tamen habitu loquuntur flagitia. Et quæ auro coruſcauerit, & radiauerit gemmis, tanquam ſimulacra declina; idolumque exiſtimato, non hominem, quæ à Deo bene conditam formam vario præſumpſerit ſtuprare figmento. Vnde & ſcriptura dicit. fallax imago & vana eſt pulchritudo; mulier timens Deum, ipſa laudabitur. *1 Pet 3.* *Prouerb 3.* *Gratia.*

VT VITENTVR LAICÆ MVlieres.

I.

PRECOR te, Soror Florentina, vt fœminæ, quæ tecum non tenent vnam profeſſionem, ad tuam non accedant ſocietatem. Quod enim amant, hoc ſuggerunt: & eas res tuis inſinuabunt auribus, quę in eorum verſantur deſiderijs. Heu mihi Soror; corrumpunt mores bonos eloquia mala. Cum ſancto ſanctus eris (longè à te ſit Soror) & cum peruerſo ſubuerteris. Quid in vnum agit nupta & virgo? illa te non ſequitur, quæ virum diligit; propoſitum tuum fugit; quod, etſi amare ſe finxerit. mentitur, vt decipiat. Quid tecum agit, cum qua cõmuni collo Chriſti iugum non duces? diſpar habitu, diſpar affectu, organum Sathanæ hoc tibi canet, quod illecebras ſæculi moueat, & ſemitas diaboli impingat Fuge Sirenarum cantus, mi Soror, ne, dum prurientibus auribus oblectamenta delectaris audire terrena, auertaris à recto itinere, & aut in dexteram incidas ſcopulo, aut in ſiniſtram Charybdis glutiaris iactu. Fuge Sirenarum cantus, & à lingua malè ſuadentis ſepi aures tuas, muni cor tuum ſcuto fidei, dum tui propoſiti diſparem videris; & frontem tuam tropheo arma Crucis contra eam quæ profeſſioni tuæ ſibilauerit. *Pſ 17.* *Nuptarum colloquia Sirenum voces.*

VI VIRI SANCTI VITENTVR.

II.

IAM quali fuga viros fugias, Soror Florentina, tu iudica, ſi tam ſolicitè fœminas ſæculi declinabis. Quiſque vir, ſi ſanctus eſt, nullam tecum quærat familiaritatem, ne videndi iugitate, aut infametur vtriuſque ſanctitas, aut pereat: decidet enim

à charitate Dei, quæ perpetrandi mali operis occaſionem præbuerit. Decidet à charitate proximi, quæ etſi malè non agit, opinione tamen peſſimam famam nutrit: diſpar enim ſexus in vnum locatus, eo titillatur inſtinctu quo naſcitur; & naturalis mouetur flamma, ſi incompoſita attigerit. Quis colligauit ignem in ſinu ſuo, & non comburetur? ignis & ſtupa ſibi vtraque contraria in vnum redacta, flammas nutriunt. Viri ſexus & fœminæ diuerſus, ſi coniungitur, quo lex naturæ prouocat, commouetur.

Fomitis vis in promiſcuo ſexu. Prou. 6.

VT DECLINARE VIRGO DEBEAT iuuenes.

III.

ETSI taliter viri declinandi ſunt ſancti, ne vtrorumque bonis moribus offenſio ſubrepat, qualiter fugiendi ſunt iuuenes tenebroſas vias temporalis vitæ ſequentes? quos ad hoc Diabolus obijcit, & virgineis opponit oculis, vt formas eorum quas per diem viderit, virgo meditetur in nocte. Quod ſi contradicat mentis ratio, talesque imaginationes ab animo reſpuat, recens tamen viſio & corporalis inſpectio, exhibet memoriæ formas quas videndo didicit: & etſi paulum talis imaginatio oblectet mentem, occurret etiam per ſomnium, quod viderit oculis. Sic Diaboli ſagittis pectus virginis vulneratur; & infigitur cordi amor noxius, vt quod in nocte recordata eſt, cum amore velit iterum videre in craſtinum: & ſic intrat Sathanæ ſagitta vſque ad intimum cordis per ianuas oculorum, ſicut dicit propheta. Intrauit mors per feneſtras noſtras. Nec enim ſubrepit diabolus ad interiora mentis, niſi per ſenſus corporis. Si pulchrum aliquid videas quod concupiſcentiam moueat; ſi oblectet aures turpis cantus; ſi odoratum nitor adtigerit flagrans, ſi guſtum illecebroſus ſapor commouerit, ſi tactus mollem & nitidam contigerit formam, tunc oblectatione ſenſibili carnis mouetur illecebra. Dei enim opus vterque eſt ſexus; Amandi ſunt certè viri vt opus Dei; ſed abſentes pro operibus bonis & propter Deum, qui eos fecit, non propter pulchritudinem corporis.

Adoleſcentum penetrans adſpectus.

Recurrens in ſomno.

Ierem. 9.

Senſuum illecebra.

DE ABSTINENTIA.

IIII.

QVID ad te de cibis Soror Florentina, puto loquar, quæ fragilitate corporis, nec tantum accipis, quantum ratione doceris? Maneat tantum in animo, vt, etſi infirmo corpori aliquid relaxandum

dum eſt à rigore, interim non ſoluatur animus, ſi corpus infirmum meretur aliquid indulgentius. Nullus eſt enim vſus edendi culpabilis, ſed concupiſcentia, ſed immoderatio; ſi plus quam opus eſt ſumpſeris; ſi deſiderer, ſine quo viuere poſſis. Triplex certè eſt gulæ intemperantia, ſi quod non licet auidius appetis; ſi licita quæque exquiſitis impendijs præparata accuratius quæras; ſi tempus edendi licitum non ſuſtineas. Primi generis homines ob hoc Paradiſi delicias & immortalitatis præmia perdiderunt, quia illicita concupierunt. Eſau verò pro eo, quod auidius ambijt licita, primogeniti perdidit primitiua. Et qui edendi tempus non ſeruant, animalia ideo ſunt irrationabilia. Probauimus ergo triplicem exceſſum intemperantiæ, dum primi homines guſtauerunt de illicito; dum Eſau lenticulæ appetitu perdidit primogenita; dum edendi tempus non ſeruant animalia, & ſunt irrationabilia. Non eſt igitur abſtinens auidè vorans, etiam viles cibos Sepulchrum patens eſt guttur eorum, ait Pſalmiſta. Namque & ille mollis, & diſſolutus eſt; qui contemptis præſentibus, precioſis ac peregrinis epulis delectatur. Piſcis per illecebram hamo capitur, auis obiectu eſcæ in decipulis cadit, beſtiæ, quæ naturali virtute ſunt rigidæ, cupiditate cibi infoueam proruunt; & quas non emollit natura, decipit eſca. Tu verò temperantiam & parſimoniam, ſeu oraculo, ſeu exemplis diſce maiorum. Oraculo; quia dicit Dominus: Non grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate. Exemplis; quia Dauid cupitam aquam noluit bibere, quam periculum alieni eſſe ſanguinis intellexit, vel quia Daniel contemptis dapibus regis, leguminibus vixit. Sint tibi accepta, quæ ſunt comitibus tuis communia; & aliorum non ſis intemperationis cauſa; & quibus forma eſſe debes hortamento ac vitæ bonæ documento, ſcandali non efficiaris occaſio.

Triplex Gulæ ſpecies. *Gula in vilibus cibis.* *Pſal 5.* *Luc 21.* *2. Reg 23.* *Danie. 14.*

VT VIRGO SINGVLA NON LOQVAtur cum ſingulo.

V.

NVLLVS te ſingularem alloquatur: nec tu, præter duarum aut trium teſtimonium alloquaris aliquem ſingularem. Memento ſponſi tui ſaluatoris noſtri, qui certè non verebatur labem peccādi, attamen in montibus cum Moyſe & Helia coram tribus Petro & Iacobo & Ioanne locutus eſt teſtibus. Sic & cum ſuſcitaret Archiſynagogi filiam eos adhibuit teſtes, vt falſi rumoris non daret occaſionem. Mirabantur autem & diſcipuli, quod ad puteum Iacob cum muliere loqueretur. Et reuera non mirarentur, niſi quod

Matth. 19. *Luc. 8.* *Arbitri in colloquiis religioſ laudati* *Ioan c 4.*

viderent inuſitatum; &, niſi illi abijſſent cibos emere, non loqueretur citra eos ſolus Chriſtus cum muliere.

VT IVGITER VIRGO ORET ET legat.

VI.

Lectio ad cibum, vel menſam.

LECTIO tibi ſit aſſidua; iugiſque oratio. Diuidantur tibi tempora & officia; vt poſtquam legeris, ores; & poſtquam oraueris, legas. Sic alternes perpetuo hæc duo bona, vt ab eiſdem nullo ſis tempore otioſa. Quod ſi aliquid manibus operandum eſt, vel certè ſuſtentaculis ciborum corpus reficiendum, alia tibi legat: vt, dum manus vel oculi intenti ſunt operi, paſcat aures gratia ſermonis diuini. Siquidem oramus & legimus, vt lubricam mentem à ſurreptionibus diaboli vix retrahamus; quanto procliuius humanus animus reptatur ad vitia, ſi lectionis & orationis aſſiduæ retentaculo non frænetur. Lectio te doceat, quid orando petas; poſtquam vero oraueris, iterum legendo inquire, quod poſtules.

VT CARNALITER NON LEGI DEbeat vetus teſtamentum.

VII.

Inſigniſ obſeruatio de veteris teſtamenti lectione.

VETVS teſtamentum legens, non temporis illius nuptias, ſed prolis numeroſitatem conſidera; non eſum carnium & ſacrificia ſanguinolenta; crimina morte carnis expiata; vni viro multarum vxorum permiſſa conſortia. Licuit enim illo tempore, quod iſti non licet; Et, ſicut per legem conceſſæ ſunt nuptiæ; ſic per Euangelium Virginitas prædicatur. gens enim erat Hæbrea ab omni diſcreta conſortio populorum; & ad prophetandum Chriſtum Eccleſia deputata. Ne periret, cunctis permiſſæ ſunt nuptiæ, cauſa prolis propagandæ. Et, quia carnalis erat populus, carnium crapula, paſcebatur. Sacrificia certe idcirco pecudum litabantur, quia verum ſacrificium; hoc eſt Chriſti corpus & ſanguinem figurabant. Venit veritas, vmbra diſceſſit. Venit verum ſacrificium, & ceſſauit hoſtia pecudum. Venit virgo virginis filius; & virginitatis præbuit documentum. Omne enim, quod in veteri teſtamento legeris, quamuis opere geſtum fuerit, ſpiritualiter tamen intellige; & de hiſtoriæ veritate, intelligentiæ ſpiritualis ſenſum ſcalpe. Iam pro peccato non occiditur homo corpore; ſed necem, quam illi carnis dabant per gladium, nos carnalibus vitijs imponimus pœnitentiæ vſu.

Ceremoniæ & ritus Iudaici.

Cantica canticorum

Cantica canticorum, iuxta

xta auditum aurium, ne ſentias; quia carnalem illecebram terreni amoris inſinuant, quæ per ſpecies actionis, corpus Christi, & Ecclesiaſticam charitatem figurant. Merito & à veteribus iſti libri prohibiti ſunt, legere carnalibus * Eptaticum, & Cantica canticorum, ne dum eos ſpiritualiter neſciunt, libidinis ac voluptatum incitamento ſoluantur.

rum quomodo legenda.

** Heptaptychum.*

DE IEIVNII MODO.

VIII.

IEIVNIA certè valido corpori imponenda ſunt; & quos rebellis caro lege vitiorum impugnat, ieiunio attenuandi ſunt iugi. Subiuganda eſt ieiunijs caro rigida, & catenus refrænanda, vt legi mentis & imperijs animæ ſubiaceat vt ancilla. Et quam debilitauit iugis infirmitas, ſi eam ieiunijs temperes, tantumque ſumas quantum ſaluti ſufficiat, non peccabis. Meliorem tamen iudica eam, quæ ſalutis robore infirmitatis non eget remedio. Nec debet ſcandalizari quæ ſana eſt, ſi remiſſius vel indulgentius quæ infirma eſt, alitur: ſed magis eo ſe meliorem, ſanctioremque eſſe conſideret, quod fragilibus rebus non indiget, quibus eget infirmitas. Illa autem, quæ infirmitatis obtentu meretur aliquid lenius; ſit præ cæteris humilis; doleatque, ſe non poſſe, quæ aliæ poſſunt; & abſtinentiam tempore laxatam, non reputet virtuti, ſed infirmitati.

Ieiunia validis potius conueniunt quam infirmis.

Infirmorum remiſſa ieiunia non offendant alios.

Non ieiunantis conditio.

DE VSV VINI.

IX.

Ex regula S. Benedicti de menſura potus 1. Tim c. 5.

VINO ſecundum Apoſtoli vtere regulam. ait enim Timotheo: Modico vino vtere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Dum enim dicit, modicum; medicinaliter bibendum fore monſtratur, non ad ebrietatem. Nam alio idem loco ſic dicit Apoſtolus. Vinum dixiſti: omne vicium dixiſti. Ebrietas enim mortale eſt crimen, inter homicidia, & adulteria, vel fornicationes. Sic eijcit à regno Dei vini temulentia, quemadmodum facinus adulterij, vel homicidij, vel aliorum criminum flagitia. Confirmat hoc dicendum Apoſtolus. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, nec adulteri, nec molles, nec maſculorum concubitores, nec fures, nec auari, nec ebrioſi, nec maledici, nec rapaces regnum Dei poſſidebunt. Vide quantum ſit execranda ebrietas, vt etiam à regno Dei ſuos amatores eijciat. Quam etiam terribiliter Propheta increpet vino deditos, vide. Dicit enim: Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum & viri fortes ad miſcendam

Tit. 2.

1. Cor. 6.

Ebrietatis mala.

Iſa c. 5.

ebrietatem. Et iterum, Væ, qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam & potandum vtſque ad veſperum, vt vino æſtuetis, Bibit vinum Noë; atque ebrietate ſopitur, & parte corporis verecundiori denudatus eſt: vt noueris, ſic conſternari humanum animum vino, & rationem humanæ mentis obtundi, ne ſeipſam quidē meminerit, multo minus etiam Deum. Et licet illa Noë ebrietas, ac nudatio myſterium Chriſti paſſionis & mortis contineat; tamen ad literam errorem facti inſinuat. Loth vino crapulatus inceſtum intulit filiarum; nec ſenſit errorem; de quo incentiuo concubitu naſcuntur Moabithæ & Amonithæ. Et Dominus dicit. Moabithæ & Amonithæ non intrabunt in Eccleſiam meam vſq; in decimam generationem. ſenti quantum ſit fugienda vini ſatietas; vt etiam Patriarchis ſcandalo & culpæ cauſa extiterit. Ergo & virgo, quæ virtute corporis viget, bene facit, ſi omnino ſe à vino abſtinuerit. Inualidam verò & imbecillem pro medicina decet vti vino, non pro temulentiâ.

Gen. c. 9. *Noe ebrietas.* *Gen. 19. Loth.*

QVATENVS VTI VIRGO LAVAcro debeat.

Ex regula S. Benedicti de infirmis fratribus c: 36.

X.

BALNEO non pro ſtudio vel nitore vtaris corporis, ſed tantum pro remedio ſalutis. Vtere, inquam lauacro quando poſcit infirmitas, non quando ſuaſerit voluntas. Quod enim neceſſe non eſt ſi egeris, peccabis. Scriptum eſt. Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs. Cura carnis veniens ex concupiſcentia habetur in vitio: non ea, quæ ſaluti recuperandæ conuenit. Quapropter non te illiciat lauare ſæpius, carnis voluntas, ſed infirmitatis imperet neceſſitas; caret enim culpa, ſi quod neceſſe eſt egeris.

Rom 13. *Carnis cura duplex.*

QVOD PECCATVM SIT VIRGINI ridere.

Ex regula S. Ben c 4. quæ ſunt inſtrumenta bonorū operum & decimus gradus humilitatis, & duodecimus.

XI.

ESTO in Deum gaudens, lætitiâ animi tranquillâ, & moderatâ, iuxta quod ait Apoſtolus. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete; & alio loco dicit. Fructus autem ſpiritus eſt gaudium. Talis iocunditas non perturbat mentem fœditate ridendi; ſed ſubleuat deſiderijs animam ad ſupernam quietem, vbi poſſit audire. Intra in Gaudium Domini tui. Quale ſit cor virginis plerumque riſu monſtratur. Neque enim impudenter virgo rideret, ſi cor caſtum haberet, Speculum cordis facies eſt hominis. Non ridet

Philip. 4. *Galat 5.* *Mat 25.* *Riſus Virginis laſciuiæ ſignum*

det laſciuè, niſi quæ corde laſciua eſt. Ex abundantia enim cordis, ait Dominus, os loquitur. ergo ex abundantia vaniſſimi pectoris ridet facies virginis. Quid de hoc loquatur * vide. Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? & iterum ibidē: Riſus dolore miſcetur: &, extrema gaudij luctus occupat. Et Dominus ait, Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Verum & Apoſtolus inſanè lætantibus dicit. Riſus veſter vertetur in luctū. Riſum ergò Soror, vt errorem fuge; & temporalem lætitiam commuta in luctum, vt beatificeris, ſi te peregrinam in mundo luxeris; quoniam, qui ſecundum Deum lugent, beati ſunt, & ipſi conſolabuntur. Peregrinari te in mundo ſcito, non hic habere patriam, ſed in cœlo. Sic tali deſiderio ardebat Chriſti ſeruus, vt diceret. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Quanta amoris fragantia virgo debet accendi, quàm vberes lachrymas deſiderio ſponſi ſui effundere, donec ad amplexum Chriſti valeat peruenire.

Mat 12. / ** forte deeſt Sapiens* / *Eccl 2.* / *Mat 5.* / *Iacob. 4.* / *Philip 1.* / *Deſiderium Chriſti Sponſi ſtimulus virgines luctus.*

Et vbertim flere non deſinat, vſque quo Chriſtum, quem videre cupit attingat. Lugebat ille ſe peregrinum, in hac vita qui merēs dicebat. Heu me quod incolatus meus prolongatus eſt à me. Nam exultans te cœleſtis ſponſus, & chariſſimis excipiet amplexibus, ſi te ſui deſiderio flagrare didicerit, & ſi abſentem te, fleueris, ille te præſentem conſolabitur.

Pſal 119.

QVALITER HABEANTVR ANCILLÆ virginitatem profeſſæ.

XII.

QVAS tibi fecit, aut fecerit ancillas conditio, & ſorores profeſſio, iam non pro nexu ſeruitutis exulceres, ſed pro parilitate profeſſionis, honores. Quæ ergo tecum Chriſto virginitatis ſtipendijs militat: pari tecum libertate exultat. Nec ſic vos prouocamus ad humilitatem, vt illas ſuperbia erigamus; quas, dum tu accipis, vt ſorores; gratius illæ tibi ſint famulæ; præbeantq; obſequium non ſeruitute addictæ, ſed liberæ charitate. Quoniam quidem non eſt perſonarum acceptio apud Deum, ſed * in diſtribuenda fide, vbi pariter conſulitur Dominæ & ancillæ; Ibi non eligitur Domina, & reprobatur ancilla. Æqualiter baptizatæ, ſimul Chriſti corpus & ſanguinem ſumunt. Nam & Patriarchæ, dum eſſent ſanctiſſimi, quantum ad res terrenas & temporales diſcernebant inter ſeruos & filios; illos famulos, hos dominos iudicabant. Quod verè ad ſpei futuræ munus attinet, ex eo, quod filijs; & vernaculis conſulebant, quos vna circunciſione ſignabant.

** in diſtribuendo fide.*

DE DISCRETIONE SENIORIS *erga perſonas ſingulas.*

XIII.

Aequalis ſit omnibus ab eo charitas S. B. c. 2. qualis debeat eſſe Abbas, & c 37 de ſenibus vel infantib.

QVOD quoniam ſub vna profeſſione manentibus omnia erunt communia omnibus, verum eſt, & legitur; Sed ſi omnes æqualiter valeant. Attamen intereſt quædam diſcretio ſenioris præuidentis, quid vnaquæque poſcit. Sic enim diuidendum eſt, prout vnicuique opus eſt. Quæ potuit honorari in mundo, & diues fuit in ſæculo, blandius fouenda eſt in Monaſterio. Et quæ reliquit in ſæculo veſtem pretioſam, cultiorem in Monaſterio mereatur. Quæ verò ſub penuria vixit in ſæculo, & tegumento victuque eguit, gratè ferat ſi in Monaſterio nec algeat, nec eſuriat; Nec murmuret, ſi ea trahitur indulgentius, quæ vixit in ſæculo delicatius. Nam, ſi prout cuique opus eſt non diuiditur, fit ſuperba in Monaſterio, quæ fuit vilis in mundo: &, quæ erat potens in ſæculo, humiliatur in Monaſterio. Sic agit, qui diſcretè non ſapit, vt ſuperbire faciat ex vili cenſu conuerſas, & dolore ſtimulet honeſto loco natas. Et, ſi ſufficit vnde omnibus tribuatur æqualiter, nulla * eſt, vnde murmuret. quoniam diſcretio ſenioris diuidet vnicuique prout opus eſt. Sed dices Cur conuerſa eſt, niſi vt fiat humilis ex potente? Si ergo iſta ex inclito ad humilitatem deſcendit, illa ex paupere quod humiliaretur non habuit, forſitan ſic ſuperbit? Charitas autem omnia temperat, atque ad eundem pacis pertrahit limitem: vt neque illa inflectur, quæ reliquit potentiam; nec illa frangatur, quæ fuit pauper vel ancilla. Laudanda tamen eſt ſenior, ſi diſcretè cum ſingula ſe geſſerit, & vnicuique, prout opus eſt diuiſerit. Et iſta ſunt dicta de veſte, cibo, potu, vel opere pro inualidis ac delicatis; vt, quæ durius ferre non poteſt, tractetur lenius. Cæterum, ſi circa eas, quæ ferre potuerint factura eſt Senior prout viderit, & quibus conſulit pro vſu delicatæ vitæ, vel corporis fragilitate, non eas præferat honore Seniorum, ſi poſteriore conuerſæ ſunt tempore.

Diuitum & potentium in ſæculo qua ratio habenda in Monaſteriis.

Pauperum conditio.

** forte deeſt cauſſa*

Limitatio conditionis in tractando.

Ex reg. S. Benedict c 63 de ord. congregat.

Dum ergo ad te meus, Soror Florentina, ſermo dirigitur, deriuauimus orationem ſtudijs plurimarum. Nulli tamen iugum imponimus; ſed quod honeſtum eſt, ſuademus.

VT

Vt virgo æqualis ſit & in paupertate, & in abundantia.

XIV.

NVNC ad te loquendo reuertar, Soror Florentina, pro qua me familiaris cura ſolicitat. Hortor itaque æqualem, & vniformem habere ſemper animum, vt neque aduerſitate frangaris, quæ patientiam & penuriam Iob ſapis; neque eleueris proſperitate, quæ Patriarchas diuites opibus, ſed humiles fuiſſe animo, legimus. Beata enim eris, ſi & in aduerſis & proſperis ſemper Deo gratias egeris; & vitæ iſtius proſperitatem, fimum, vaporemque ilico euaneſcentem, credideris. Dauid certè regnabat; & cùm abundaret theſauris, ac manu forti infinitis populis imperaret, humilem ſe canit & dicit: Pauper ſum ego & in laboribus à iuuentute mea. Et ipſe iterum ad filiam Saul dicit. Vilis incedam, & vilis apparebo ante Deum, qui elegit me potius, quam patrem tuum. Similiter idem dicit: Incola ego ſum in terra, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Terrenis ergo nunquam delectata rebus, etiam ſi ſe vitæ commoda ingerant, non eis animo innitaris; nec de mundanis gaudeas lucris, & non contriſtaberis damnis. Etenim ſcriptum eſt. Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Cum amore enim poſſeſſa, cum dolore vtentis pereunt. & inde tribulari quemque neceſſe eſt, vnde carnaliter gaudet. Tu ad inſtar cœleſtis ſponſi honorari in ſæculo fuge. nec velis ab alijs dici, aut eſſe prælatior, quæ legis. Si quis inter vos cupit eſſe maior, ſit veſter ſeruus. Quoniam & ipſe Saluator, dum à turbis, vt Rex fieret quæreretur, ſe ipſum abſcondit. Quomodo enim ab homine regnum acciperet, cui cum patre regnum perpetuum manet? Sed, quia venerat docere humilitatem, hominis declinauit honorem. In forma enim Dei manens, ſemetipſum pro nobis humiliauit; & cui terreſtria ſeruiunt, ac cœleſtia, pro mortalibus factus eſt pauper, vt eius inopia ditaremur. Tu ergo inſiſte veſtigijs, quibus præceſſit ſponſus; & paſſibus indefeſſis ducem ſequere cœleſtem; ne dum factis ſuis probat eſſe diſſimilem, in cœleſtibus regnis nolit habere conſortem. Etenim iſta dicimus, vt parui pendas, aut ne pro magno cupias, lucra terrena, vel, ne exiſtimes magnos, quos in ſæculo proſpicis diuites. Quod enim habere poſſunt & mali, libenter debent contemnere boni. Dat enim malis Deus temporales diuitias, quibus negat æternas: dat eas certè & bonis, ſed quos nouit non ſuperbiſſe ex eis. Boni, propitio Deo, fiunt diuites, ꝓpitio Deo

Pſal. 87. *2. Reg. 6.* *Pſ. 117.* *Pſ. 61.* *Mat. 20.* *Phil. 2.* *Opum contemptus & vſus.*

fiunt pauperes. In vtroq; Deo gratias agunt, qui voluntatem Dei libenter accipiunt. Malis quando tribuuntur diuitiæ pęnaliter tribuuntur, vt malè de eis gaudeant; & quando ſubtrahuntur, pænaliter auferuntur, vt malè de eis doleant: vtraque iuſto ad gloriam; vtraque impio ad vindictam. Quid ad te, quæ habes regulam quam ſequaris? Virginitatem itaque & paupertatem Mariæ proſpice; quæ tam diues in Domino fuit, vt mater Domini eſſe mereretur: & tanto rebus paupercula, vt partus tempore obſtetricis, nec ancillæ vteretur ſolatio. Ipſum quoque diuerſorium tam anguſtum, vt præſepe aſſumeret pro cunabulo. Sed & Ioſeph, cui fuerat deſponſata, cum eſſet iuſtus, erat tamen & pauper; ita vt vitam & veſtitum artificio quæreret. Certè faber lignarius fuiſſe legitur. Habes exemplum, formam ſequere, ne te velis diuitiarum periculis committere; quoniam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua quæ mergunt hominem in interitum. Has à ſe ſponte auferunt, quibus in Domino deuotus eſt animus. Et plerumque contemptores ſuos magis appetunt diuitiæ, quam ſequaces. Quærite inquit, regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis.

B. Mariæ Virginis paupertas.

S. Ioſeph paupertas.

1 Timoth. c. 6.

Matth 6.

De indulgentia & prohibitione carnium.

XV.

ESVM carnium infirmitatis tuæ obtentu, nec prohibere tibi audeo, nec permittere; cui tamen ſuppetit virtus, à carnibus ſe abſtineat. Nam dura eſt conditio, nutrire hoſtem contra quem dimices; & carnem propriam ſic alere, vt ſentias contumacem. Quod ſi talibus vtitur virgo, qualibus & ſæculares vtuntur, dat ſenſum, vt ea agat, quæ à ſæcularibus aguntur. Quid poterit caro nutrita carnibus, niſi erumpere ad libidinem? miſeramque animam crudeliter luxuriæ debaccare? vnde & quidam autor ait. Delitiarum finis, corruptio. Et Apoſtolus voluptuoſam Viduam ſic notat vt dicat: Quæ autem in delicijs eſt viuens, mortua eſt. Quod ſi abſtinentia marcidum corpus vix à lege peccati quæ habitat in mentibus noſtris, prohibemus; quid faciet, quæ ſic obruit terram carnis ſuæ, vt ei poſſit ſpinas & tribulos germinare? Fomenta vitiorum eſus carnium. nec ſolum carnium, ſed & nimia ſaturias aliorum ciborum; quoniam non culpatur eſcæ qualitas, ſed quantitas reputatur in vitio. Quicquid enim accipitur nimis, hoc aggrauat animam; & abundantiori cibo extentus ſtomachus obtundit animæ ſenſus. Virgo tantum ſana debet eſſe, non rigida; pallida geſtare

Ex reg. ſancti Benedicti c 39. de menſura ciborum.

Au. à Bacin. epala.

1 Tim 5.

geſtare ora, non rubentia. Quæ ſuſpiria cordis emittit ad Deum, non eructet cruditate ciborum. Quibus ergo vires corporis opus ſunt, habeant carnis vſum; ſcilicet, qui metalla effodiunt; qui in agone terreno certant; qui conſtruunt celſorum culmina ædificiorum; vel, qui indiuerſis opificijs laborum deſudant corporis; his reparandarum virium aptus eſt vſus carnis. Virgo, quæ magis defectus ſuſtinens corporis, bona virgo eſt, ad quos vſus carnes ſumet, niſi vt miſerum corpus vitio mundet? Verum, ſi cogit infirmitas medicinaliter ſumendæ ſunt carnes. Medicinaliter enim eſt, quod non grauat, ſed eleuat; quoniam & ipſam medicinam ſta artis ipſius periti impendunt, vt ſenſim adhibita non onerent infirmum, ſed alleuent. Vnde & illa vera eſt ſententia Philoſophorum. Ne quid nimis.

Carnium eſus quibus concedendus.

Ut in monaſterio quo cœpit, virgo permaneat.

XVI.

VT in monaſterio permaneas, ſolicitè admoneo; multarum enim ſocietate proficies, & virtutes aliarum videndo, eris virgo virtutum. Etſi interdum pro varietate voluntatum, oriatur quædam congregationi ſimultas, & nonnunquam murmurijs carnalium triſtentur ſpirituales, non tamen deerunt, quas in actibus bonis imiteris. Et certè tolerare carnales, probatæ virtutis eſt; imitari verò ſpirituales ſpei eſt maximæ. Erudiunt carnales ſpiritualium patientiam; & dant quæ ſanctæ ſunt, bonarum documenta virtutum; ac ſic animæ proficienti, vtræque ſunt vtiles, & quas patienter tolerat, & quas imitatur ſuauiter. Libenter, inquit Apoſtolus, ſuſtinetis inſipientes, dum ſitis ſapientes. Et ipſe idem dicit. Debetis autem vos, qui firmiores eſtis imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non vobis placere, vnuſquiſque autem proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Non enim te carnalium ſcandalizent murmuria, ſed conſoletur proficientium vita; & quæ neſcis quantum demoreris in ſæculo, debes eſſe patiens pro cæleſti gloriæ dono.

2 Cor. 11.

Rom. 15.

Qualiter vita fugiatur priuata.

XVII.

FVGE queſo priuatam vitã; nec velis imitari eas virgines, q̃ in vrbib. pcellulas demorãtur, quas multimoda cura cõſtringit; pri⁹ placendi ſæculo, ne fœdo ꝓdeant amictu, & domeſtiça oppreſſę ſolicitu-

Religioſorum priuata vita unde.

licitudine, dum pro vitæ ſubſidio ſatagunt, minus quæ ad Deum pertinent, quærunt. Priuatam enim vitam, de vſu gentilium traxit Eccleſia. quos dum non potuerunt Apoſtoli ad normam ſuæ vitæ traducere, Eccleſiæ venienti ex gentibus permiſerunt priuatè viuere; propriiſque rebus vti. Ceterum, qui ſub Apoſtolis crediderūt ex Hebræis, eandem normam, quam nunc tenent monaſteria, ſeruauerunt. Quare, quod legitur in actibus Apoſtolorum, & verum eſſe quod dico probabis. Multitudinis, inquit, credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quidquam eorum quæ poſſidebant, ſuum aliquid eſſe dicebant, ſed quotquot poſſeſſores agrorum erant, vendebant, & pretia eorum ponebant ante pedes Apoſtolorum, & diſtribuebatur prout vnicuiq; opus erat. Vide, quod viuentes in monaſterio regulariter, Apoſtolorum teneant vitam; nec dubitent eorum aſſequi merita, quorum imitantur exempla.

Act. 4. Vita monaſtica inſtituta ab Apoſtolis.

Ne peculiare habeat virgo in monaſterio.

XVIII.

Ex regula S. Benedicti c. 14. ſi quid debeant monachi proprium habere.

PECVLIARE, quod in cœnobijs pro magno habetur crimine, tu pro grandi euita contagione. Adulterium certè eſt, quia conſcientiæ bonæ integritatem vſurpatæ rei prauitate maculat. Furti crimen eſt, quoniam dum omnia, quæ habentur in monaſterio, omnibus ſunt communia, habere vna latenter præſumit, quod à cæteris ignoratur: & aliud publicè cum omnibus vtitur, aliud furtiuè abſcondit. Fraus eſt manifeſta; quia reponit in commune, quod poſſidet; ſed exiguam paruitatem priuatim occultat fraude. Vnum crimen, ſed plura contagia. Tantæ nequitiæ malum velut gehennæ euita præcipitium; & quaſi iter caue ducens ad infernum. Inde vſque ad malum proditionis, & Domini traditionem Iudas erupit, quod furti crimen, tractus cupiditate, commiſit. Deniq; dum cum Apoſtolis haberet quicquid illis eſſet commune, non fuit contentus cōmunionis ſufficientia. Sed quid dicit de eo Euangelium? Fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. Nec non Ananiæ & Saffiræ exempla recole, qui offerentes Apoſtolis partem pretij, partem verò celantes, præſenti ſunt iudicio damnati: & pro terrore ſequentium, non eſt dilata facinoris vltio. Quę autem à communione monaſterij priuata ſecernitur, neceſſe eſt vt à cæleſtis vitæ conſortio ſeparetur. Quicquid manus tua attigerit, Seniori oſtende, in communi repone. noli quicquam tranſportare ſeorſum, quia nimirum Iudæ proditoris exempla cauenda ſunt.

Iudæ ruina ex proprietate.

Ioa. 12.

Act. 5. Ananias & Saphira.

* * *

Digitized by Google

Ne virgo iurare debeat.

XIX.

NVNQVAM iurare, ſed ſemper verum dicere; pari obſerua ſtudio. Nam ſicut carnalibus pro terrore fraudis, iurare permiſſum eſt, ſic prohibita ſunt ſpiritualibus, etiam dum ſibi bene conſcij ſunt ſacramenta. Sit, inquit, ſermo veſter, eſt eſt, non non; quod autem plus eſt, à malo eſt. Caue itaque iurare in bono, quia de malo eſt. Propterea dicitur eſſe à malo, eo quod iurandi neceſſitas, ex infideli ſit conſcientia. Eius autem hominis iurandi extorquetur neceſſitas, cuius fides manet in dubio. tu verò, quæ ſimplicitatem cordis debes oſtendere labijs, cur te ſpontaneo alliges ſacramento? tolle iurandi vſum in bono, & non periurabis in malo. Loquere veritatem ex corde, & aberit iurandi neceſſitas. Legimus enim. Ne aſſueſcas iurationi, quoniam multi caſus in illa.

Iaco 5. *Iurandi neceſſitas vnde.* *Eccl c. 23.*

Ne ſola virgo cum ſola loquatur.

XX.

NOli aſſumere vnam ad loquendi familiaritatem, & declinare alias. ſed quod ſcire vni vtile eſt, ſciatur ab omnibus. Audi Dominum quid dicat. Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine: quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta, hoc eſt, ſi quid vobis in ſecreto mentis fuerit reuelatum, palam dicite; &, quod corde conceperitis, omnibus manifeſtate. Si bonum eſt quod loqueris, cur vna tantum & non omnes potius informentur? Si turpe eſt; nec cogitare, nec loqui debet, quod alias erubeſces ſcire. Non iam de bono eſt, quod ſingulariter virgo loquitur; & circumquaque conſpicit, ne ab alijs audiatur. Omnis enim qui malè agit, ait Dominus, odit lucem. Vnde & ille philoſophorum prudentiſſimus dixit. Omnia rectè facta in lucem ſe amant collocari. O virgo ideo occultè loqueris, quia non eſt vnde publicè glorieris. Sed ſi aures & oculos humanos fallis, numquid Dei cognitionem fallere poteris? Pulchrè & alius ait. quod vis Dominum neſcire, nec agas, nec cogites. Sit ergo tibi conſcientia innocua, ſermo liber à culpa: reſpuenda nec audire, nec cogitare delectet, multo minus loqui, vel agere.

Matth. 10. *Ioan. 3.*

Ne velit virgo reuerti ad ſæculum.

XXI.

IAM ad portum nauem orationis dirigimus, & emenſo dictorum pelago in littore quieſcendi anchoram ponimus; flatu tamen

charitatis tuæ iterum in fluctibus verborum reuehor. Te quæſo Soror Florentina, per beatamque Trinitatē vnicæ diuinitatis obteſtor, vt quæ de terra tua & de cognatione tua cum Abraham egreſ-
Geneſ 19. ſa es, cum vxore Loth non reſpicias retro, ne efficiaris exemplo malo documentum aliarum ad bonum, & ne in te aliæ videant, quod
Vxor Loth in ſe caueant. Illa verò alijs facta eſt condimentum ſapientiæ; ſibi verò ſimulachrum ſtultitiæ. ſibi enim nocuit malefactum; alijs profuit exemplum contrarium. Ne te vnquam reuerti ad genitale ſolum ſolicitet cogitatio; vbi, ſi te Deus habitare voluiſſet, non inde eijceret. Sed quia vtile propoſito tuo fore proſpexit, benè ſicut Abraham à Chaldæis, & tanquam Loth te abſtraxit à Sodomis. Denique errorem meum ipſe fateor, me communem matrem ſæpe allocutum, noſſe cupiens, ſi vellet reuerti ad patriam? illa autē, quæ ſe nouerat Dei voluntate, cauſa inde ſalutis exiſſe, ſub diuina
Turtura matris S. Leandri præclarum patriæ ob Chriſtum relictæ exemplum. obteſtatione dicebat. Nec velle ſe videre, nec vnquam viſuram illam patriam eſſe. Et cum magnis dicebat fletibus. Peregrinatio me Deum fecit agnoſcere; peregrina moriar: vt ibi ſepulturam habeam, vbi Dei cognitionem accepi. Teſte Ieſu hoc in eius experijſſe deſideriis, memor ſum; vt etiamſi diu viueret, patriam illam non reuiſeret. Tu, quæſo, caue Soror Florentina, quod mater timuit: & malum, quod illa experta fugit, tu prudenter euita. Miſerum me
S. Fulgentius frater S. Leandri. doleo, qui ibidem communem fratrem tranſmiſi Fulgentium, cuius pericula iugi formidine, pertimeſco. Tutior tamen erit, ſi tu
S. Florentina teneris annis Deo ſe dicauit. ſecurior, & abſens pro illo oraueris. Ea inde arte abſtracta es, vt vel ſi ibidem nata fueris, non memineris. Nulla eſt recordatio, quæ moueat deſiderijs animam, & beata es, quæ ignoras, quod doleas. Ego tamen expertus loquor, ſic perdidiſſe ſtatum & ſpeciem illam
Patria S. Leandri. patriam, vt nec liber in ea quiſquam ſuperſit, nec terra ipſa ſolitâ ſit vbertate fœcunda; & non ſine Dei iudicio. Terra enim, cui ciues erepti ſunt, & conceſſi extraneo, mox vt dignitatem perdidit, caruit & fœcunditate. Vide Soror Florentina quod te pauens, merenſque conueniam, ne te ſerpens præripiat à Paradiſo, & in eam ponat terram, quæ ſpinas & tribulos germinat; de qua rurſum, ſi velis manum extendere, & lignum vitæ ad edendum aſſumere, non permittaris attingere. Teſtor enim te cum Propheta & conſcio Ieſu
Pſal 44. Chriſto admoneo dicens. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui; quia con-
Luca 9. cupiuit Rex ſpeciem tuam, & ipſe eſt Dominus Deus tuus. Nemo mittens manum ſuam in aratro, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Noli ab eo auolare nido, quem inuenit Turtur vbi repo-
Turtura mater S. Florentinæ nat pullos ſuos. Simplicitatis filia es, quæ Turture matre nata es.

In eadem vna perſona complurium neceſſitudinum vteris officio. Turturem pro matre reſpice. Turturem pro magiſtra, attende, & quę te Chriſto quotidie affectibus generat, chariorem qua nata es reputa matrem ab omni procella, ab omni mundano turbine in eius te ſinibus conde. Sit tibi ſuaue eius lateri adhærere. ſit tibi dulce eius gremium iam profecto, quod erat infanti gratiſſimum. Poſtremo chariſſimam te germanam quæſo, vt mei orando memineris, nec iunioris fratris Iſidori obliuiſcaris. (S. Iſidorus frater.) quem quia ſub Dei tuitione & tribus germanis ſuperſtitibus parentes reliquerunt communes, læti, & de eius nihil formidantes infantia ad Dominum commearunt, quem cum ego, vt verè filium habeam, nec temporale aliquid eius charitati præponam, atque in eius pronus dilectione recumbam; tanto eum charius dilige, tantóque Ieſum exora pro illo, quanto noſti eum à parentibus terrenis fuiſſe dilectum. Certuș ſum, quod flectat pro nobis aures diuinas tua virginalis oratio. Etſi pactum quod cum Chriſto pepigiſti ſeruaueris, bene agenti tibi debetur corona, & exhortanti Leandro præſtabitur venia, & ſi perſeueraueris vſque in finem, ſalua eris. Amen.

IN-

INDEX IN VITAM SS LEANDRI &c.

Abbas qualis eſſe debeat. 40
Abſtinentia. 34,42
Adoleſcentum adſpectus cauendi Virginibus Deo ſacris. 34
S. Aemilianus, Fundator & Abbas, celeberrimi Monaſterii, S. Aemiliani. 11.
Amalaricus nepos Theodorici Oſtrogothi Regis; ſuſcipit regnum Hiſpaniæ. 9
Ancilla Virginitatem profeſſæ, vt in Parthenonibus habendæ. 39
Anania & Saphira, ex proprietate rerum, ruina, pœna. 44
Arbitros intereſſe colloquÿs religioſorum, laudabile, vtile. 35
Aſtigenſis Parthenon. 16 22
Aucenſis regio. 11
Aucenſis olim Epiſcopus, qui nunc Archiepiſcopus Burgenſis. 11
B.
S. Benedicti ætate, iam Monaſteria in Hiſpania. 10
Bonis terrenis, bona mens non adliganda. 26
S. Braulio Cæſar-Auguſtanus. 12
Burgum Vrbs Hiſpaniæ. 10
C.
Cantica Canticorum quomodo legenda. 37
Cardea Dea. 10
Cardinienſe Monaſterium vnde dictum. 10 11
Cardonum, ſiue Cardonia. 10
Cardoniæ tractus. 10.11
Chriſtus ſponſus, & portio Virginum. 26
Chriſti ſanguis, Virginum dos. 27
Cœnobium S. Claudij Legione. 13
Cœnobium S. Facundi. 11
Cœnobium S. Florentinæ 16.17
Con-

Concilia Toletana. 14
Concilium Hiſpalenſe, ſecundum & quis eius Præſes. 18
Conditio non ieiunantis. 37
Cura duplex carnis. 38

D.

Deſiderium Chriſti ſtimulus ſolitudinis, & luctus Virginei, 39
Diaboli artes verſutæ. 34
Diſcretio neceſſaria ſeniori in Monaſterio, circa perſonas ſingulas. 40
Dumienſe Monaſterium. 22

E.

Ebrietatis mala. 37
Ecclesiæ vnius, plures Epiſcopi, & quomodo. 21
Ermengildus. Vide Hermengildus.
Eutropius Abbas Seruitanus. 22

F.

S. Facundi Cœnobium. 11
Ferdinandus Magnus, tranſtulit Legionem corpus S. Iſidori. 16
S. Florentis campi. 11
S. Florentina: aliàs Florentia; alias Iuſtina; 12. præeſt XVL. Aſceterijs; & Virginibus. M. 17. Claret in Parthenone Aſtigenſi. 16. à teneris annis dicauit ſe Deo. 46
S. Florentina petente ſcriptus libellus.
S Florentinæ ſtemma regium, fratres regij, ſancti 12. 13. tumulus. 21
Fælicitas ſæcularis quid. 4
Fœmina comptæ, non caſtæ, ſchema. 32
Fomitis vis in ſexu promiſcuo. 34
S Fulgentius ex diſciplina S. Benedicti. 15
S. Fulgentius Epiſcopus Aſtigitanus. 15 frater S. Leandri. 46
S. Fulgentij regia origo; fratres. 11 12. 13. peritia variarum linguarum; ſcripta. 15. reliquiæ. 15. tumulus. 21

G.

Gothi, alij Oſtrogothi, alij Viſigothi. 9 eorum poteſtas. 9
S. Gregorius M. inſtituta S. Benedicti ſecutus. 13. miſſus à Vigilio Papa ad Conſtantinopolitan. Generale Concilium. 13. inſcripſit S. Leandro libros Moralium. 13, 10. 14
Guadalupenſe Monaſterium, ab Alfonſo ſecundo exædificatum. 21. à Ioanne primo traditum Sodalibus Hieronymianis. 21
Gula in vilibus cibis: Gulæ triplex ſpecies. 35

H.

S. Hermenegildus Leovvigildi & Theodoſiæ f 12. ob Arianæ Impietatis, piam deteſtationem, è medio ſublatus à patre. 13
Heptatichus, Heptateuchus &c voces explicatæ. 24

 Hiſpa-

Hiſpaniarum hodierni Reges Catholici, quam alto ſanguine contingant Reges antiquos,& ſanctos Hiſpaniæ.13.humilitati quantopere ſtudendum. 41

I.

Ieiunia validis potius quam infirmis conueniunt. 37
Imago Guadalupenſis, B.Virginis, teſtis antiquæ pietatis. 14.20.miſſa à Gregorio Magno, ad S.Leandrum.21.de ea ſententiæ diuerſæ. 21
Incarnationis myſterium. 17
Ioſephi paupertas. 42
S.Iſidorus,frater ſanctorum Leandri,Fulgentij,&c.12.13.11. Doctor Hiſpaniarum; educatus à ſuo fratre Leandro.16.moritur 16. præſes Concilij Hiſpalenſis. 18
Iudæ ruina ex proprietate rerum. 44
Iuramentum vitandum. 45
Iurandi neceſſitas vnde. 45
S ISIDORI corpus translatum Legionem. 16

L.

S. LEANDER religioſus,è familia S.Benedicti. 13. quantis ſatus maioribus.12.13,11. Scripſit Libellum de ratione viuendi, Virginum. 5.familiaris Gregorio M.13.miſſus ad Concilium generale Conſtantinopolim. 20.13.præfuit Concilijs.14.miſſus in exilium à propinquo; reuocatus ab eodem.14 quando,& vbi mortuus. 15
S Leandri libellum de Virginitate,è Gothico in Hiſpanum Prudentius Sādouallius: Ex Hiſpano in Latinum ſermonem P.Ioannes Horion tranſtulit.9.Eius ſcripta,& ætas.14.Elogium 20.Patria. 46
Lectio ad menſam. 36
Legione in Hiſpania Cænobium S.Iſidori Regium.16.S.Claudij. 13
Levvigildus Hiſpaniarum Rex Arianus,in exilium miſit S. Leandrum: reuocatum,filio dedit magiſtrum.14. 21. Pater ſancti Ermenegildi, & Reccaredi Regis,coniunx, Theodoſia. 20
Levvigildum filium Catholicum ipſe Arianus,è medio ſuſtulit. 13.21

M.

Maleficij genus eſt,eſſe ad placendū aliis,coloribus, odoribus,pigmentis inficere. 32
S.Martinus Dumienſis. 22
S. MARIA Deipara,Dux Virginum,& apud filium aduocata. 29
S. MARIAE Virginitas.28.paupertas. 42
Maurorum contra Virgines ſacras perſecutio. 17
Mauſina ſeu Lara Vrbs Hiſpaniæ. 10
S.Maximus ſcripſit de S.Leandro. 13.10
Monachorum in Hiſpania antiquitas.22.Et qui vetuſtiores. 22

Monaſteria. 16.17.13 15 22
Mulieres laicæ, vitandæ virginibus. 33
Mulierum lenocinia, & fucatus ornatus reprehenſus. 31

N.

Noe ebrietas. 38
Nuptarum colloquia, Syrenum voces. 33
Nuptiarum ærumnæ. 30

O.

Opum contemptus. 41
Opes mundi, homine minores. 25

P.

S. Paullinus Nolanus, colit monaſticen in Hiſpania. 17.22
Proprietas monaſticis pernicioſa. 44
Prudentius Sandouallius translator huius libelli è Gothico in Hiſpanicum. 6.8

R.

S. Recaredus Hiſpaniarum Rex, frater S. Hermenegildi, inſtaurator fidei. 13.14 *quando cœperit regnare.* 13
Regulæ S. Leandri initium. 25
Religioſorum priuata vita vnde. 44
Ricimerus Inuaſor Hiſpaniæ. 19
Riſus virginis, laſciniæ ſignum. 38

S.

Sanctia vxor Theodorici Oſtrogothorum regis. 9 *fundauit monaſteria Benedictinis.* 10. *S. Petro Cardenienſe. ibid. auia quatuor Sanctorum: vbi ſepulta.* 11
Sanctiæ natales. 12. *diuortium cum Theodorico.* 19
Seuerianus filius Sanctiæ, & Theodorici Oſtrogothi, Galliæ Regis: Dux prouinciæ Carthaginenſis: pater SS. Fulgentij, Iſidori, Leandri, Florentinæ. 12
Siſebutus Rex Hiſpaniarum. 18
Sueui in Gallacia. 9

T.

Teſtamentum vetus quomodo legendum. 36
Terrenarum rerum inanitas, vanitas. 25 26
Theodorici Gothorum Reges duo: alter Oſtrogothorum, alter Viſigothorum. 9
Theodoricus Oſtrogothus, VViſigothorum Rex, fundit inuaſorem Hiſpaniæ: cedit in Galliam liberata Hiſpania 19. *de eius aduentu in Hiſpaniam reiecta ſententia.* 19
Theodoſia ſoror SS. Leandri, Fulgentij, &c. coniux Leuigildi Regis: mater S. Hermenegildis. 12.20. *& Recaredi.* 20

Toletum ſedes Regum Gothorum in Hiſpania. 12
Toletana Concilia. 14
Turtura mater SS. Leandri, Fulgentij, Iſidori, Florentinæ. 12. 20. *ſe abdicauit ſæculo.* 20. 47. *Eius præclarum relictæ patriæ ob Chriſtum Exemplum.* 46

V.

De vini vſu: & menſura in potu ex regula S. Benedicti.
Virgines Deo ſacræ in Hiſpania. 17
Virginum ſponſus. 26
Virginitatis quam nobilis poſſeſſio. 26. 27
Præmia. 27. *Virginitatis meritum, etiam pro alienis peccatis.* 29
Virginibus nil peculiare habendum in monaſterio. 44. *non iurandum.* 45. *non loquendum ſoli cum ſola* 45. *non referendus pes ab inſtituto ad ſæculum.* 46. 47
Virginum & nuptarum diſcrimen. 30
Virginibus vitandi viri etiam ſancti. 33. *Laicæ.* 33. *adſpectus iuuenum.* 34. *Illecebræ ſenſuum.* 34. *Iugiter orandum.* 36. *ridere peccatum.* 38
Virgo quatenus vti lauacro debeat. 38
Virgo vt ſit æqualis in paupertate & abundantia. 41
Vxor Loth. 46

VITA

Digitized by Google

Toletum ſedes Regum Gothorum in Hiſpania. 12
Toletana Concilia. 14
Turtura mater SS. Leandri, Fulgentij, Iſidori, Florentinæ. 12. 20. *ſe abdicauit ſaeculo.* 20. 47. *Eius præclarum relictæ patriæ ob Chriſtum Exemplum.* 46

V.

De vini vſu: & menſura in potu ex regula S. Benedicti.
Virgines Deo ſacræ in Hiſpania. 17
Virginum ſponſus. 26
Virginitatis quam nobilis poſſeſſio. 26. 27
Præmia. 27. *Virginitatis meritum, etiam pro alienis peccatis.* 29
Virginibus nil peculiare habendum in monaſterio. 44. *non iurandum.* 45. *non loquendum ſoli cum ſola* 45. *non referendus pes ab inſtituto ad ſaeculum.* 46. 47
Virginum & nuptarum diſcrimen. 30
Virginibus vitandi viri etiam ſancti. 33. *Laicæ.* 33. *adſpectus iuuenum,* 34. *Illecebræ ſenſuum.* 34 *Iugiter orandum.* 36. *ridere peccatum.* 38
Virgo quatenus vti lauacro debeat. 38
Virgo vt ſit æqualis in paupertate & abundantia. 41
Vxor Loth. 46

VITA